

37

27


DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
EXHIBENS
**BALNEORVM VSVM AD
CVRANDAS FEBRES**

QVAM
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
IN STVDIORVM VNIVERSITATE
ALTORFINA
PRO CONSEQVENDA
DOCTORIS MEDICINAE DIGNITATE

PVLICE DEFENDET
AVCTOR
FRANCISCVS XAVERIVS EISELIN
ELVANGA - SVEVVS.

DIE XXVII IVNII MDCCCLXXXII.

ALTORFII
TYPIS IOANNIS PAVLLI MEYERI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

CLEMENTI
WENCESLAO

DEI GRATIA

ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI

S. R. I. ARCHICANCELLARIO PER GALLIAM
ET REGNUM ARELATENSE AC

PRINCIPI ELECTORI

EPISCOPO AVGUSTANO PRAEPOSITO
ELVANGENSI

ADMINISTRATORI ABBATIAE
PRVMIENSIS ETC.

PATRIAEC PATRI

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

PRINCIPAL V. DOMINA

CLEMENTI
AENESESTAO

DEI GRATIA

ARCHIATRUM CONSECRATUM MILLEMIHRENSI

E.R.I. ARCHICAPITELLUM FER. CATHAR.

II. REGENS V. RER. LITERAR. AC

TRINUS. ERICIO. I.

ERISCOPE VACASTANO PRAEFOSITO

ELAVENENSIS

ADMIRANTATORI AVVATATE

FRAWENKIS. etc.

PATERIAE PATRI

DOMINI SA. MARYM AVCTOR.

SECTIO I.
HISTORICA.

Cum antiqui acutos febiles morbos sola diaeta curarent, medicamentaque non ipsis febribus, sed potius aut urgentibus symptomatibus, aut causis affectionibusque, quae cum ipsa febre incidebant, opponerent, eos in diaetae praeceptis ad febres acutas curandas enarrandis copiosissimos solertissimosque fuisse non mirandum est. Cum vero balneorum in diaeta tam sanorum, quam aegrotantium et existimatio summa esset, et usus maximus, etiam non mirandum est, veteres medendi febribus per balnea methodum et commendasse, et crebrius in usum vocasse, quam recentior aetas postea consuevit.

Priusquam vero de veterum instituto loquar, quo febrium acutarum curationem balneorum operari sunt, generatim notandum est, veteres balneo hoc modo ut plurimum uti consuevisse, ut primum in calidam corpus immitterent, mox, ex hac egressi,

A 2

in

in frigidam, postremo sudorem dexterent^{a)}). Quod diligenter in balneis veterum notandum est.

Balnea et si instituta demum post **HIPPOCRATES** in Graecia esse, aut saltim eius temporibus et rariora, et minus instruēta apud Graecos fuisse, **GALENO**^{b)} quoque monente, videntur, tamen, si ab ipso **HIPPOCRATE** conscripta est ea libri de diaeta acutorum pars, quae cum §. 31 editionis Lindeniae incipit, quod tamen post **GALENVM** in dubium vocarunt plurimi, argumentis ducti gravissimis^{c)}, **HIPPOCRATES COVS** balnea ad febres sanandas commendavit, adhibuitque: si vero spuria haec pars est, saltem antiquissimo tempore, et non diu post **HIPPOCRATEM** vivens ignotus ex Hippocratea schola auctor^{d)} medelam febrium per balnea praecepit. Balnea vero ideo minus frequenter ad febres adhiberi dixit, quod in paucis hominum habitaculis præparata existant ad balnea necessaria, neque omnibus ministerium ad balnea suppetat; opus enim esse, ut febri-

a) *Gal.* meth. med. L. X. c. 10. cf. *Hier. Mercurial.* de arte Gymnast. veter. L. I. c. 10. p. 54. edit. Coriolan.

b) *Gal.* comm. III. in libr. Hippocrat. de officina medici text. 32.

c) vid. *Febr. Bibl. græc.* L. II. c. 23. §. 22. Vol. II. p. 557. ubi optimus praceptor meus, cl. *Ackermannus*, de hac huius libri parte spuria testimonia auctorum adduxit, et argumenta ad probandas spurias eius origines digerit atque discussit.

d) cl. *Ackermannus* in *Febr. Bibl. græc.* l. c. §. 5 seq. p. 514.

febricitantes bene laventur, utque ipsi nihil operentur, sed ab aliis perfundantur aqua et defracentur. Qui hoc fecerint, et fani balnea frequentaverint, post balnea vim morbi minus sentire, appetere magis et levare a morbo, non lotos vero laedi dixit^e). Minus vero febribus ardentibus, magis peripneumoniis, et cuique alii morbo inflammatory balnea convenire dixit; dolorem enim lateris et pectoris ac dorsi balneum lenire, sputa matura facere et educere, spirationem facilem reddere et lassitudinem eximere, articulos et cutis superficiem mollire, urinam ciere, capitis gravitatem solvere, nares humectare dixit, *balneoque talia inesse, atque tanta bona tradidit, quibus omnes febre laborantes indigeant^f*). Eosque febricitantes qui bene tulissent balneum, quotidie semel aut bis lavari iussit^g). Sed noxas a balneis non ignoravit auctor idem, partim accidentes, corporibus ad balneum non debite praeparatis, partim etiam evenientes, ipso balneo praeter iustam indicationem adhibito. Non enim tempestivum esse eos lavare, quibus alvus in morbis iusto liquidior, itemque eos, quibus plus iusto adstricta sit, et non prius subierit. Neque debilitatos lavari oportere, neque ex ciborum fastidio nausea adfectos, vomiti-

A 3

tuve,

e) Hippocrat. de diaeta acut. §. 31, 32. p. 295.

f) Hipp. de diaet. acut. §. 32. p. 296.

g) Hipp. de diaet. acut. §. 33. p. 297.

tuve, neque quibus bilis sursum turgeat, neque qui-
bus sanguis e naribus erumpat^{h)}.

Laudata cacterum balnea sunt in Hippocrateis
libris ad febrem, quam ob summum vitae pericu-
lum, quod assert, Φωνίδην (interficientem) auctor libri
secundi de morbis vocat, morbo superato, ad va-
letudinem aegro restituendamⁱ⁾, ad lividum mor-
bum^{k)}, ad pleuritidem, et quidem ita, ut quarto
morbi die aeger lavetur, quinto aut sexto oleo un-
guatur, septimo vero iterum lavetur, si febris non
desierit, quo post balneum sudor contingat^{l)}. Ad
acutos renum dolores calida balnea auctor libri de
internis affectionibus commendavit^{m)}. Eadem idem
auctor ad pulmonum tubercula inflammata et ad
suppurationem prona laudavitⁿ⁾. Dira febris spe-
cies est et summe exitiosa, τύφοι veteres vocabant.
Ad hanc calida balnea non valere, frigida vero lin-
teorum ope applicata partibus nimio calore exustis
summe prodesse, auctor Hippocratei libri de inter-
nis affectionibus tradidit^{o)}.

DIO-

h) Hipp. ibid. §. 32. p. 296.

i) Hipp. de morb. L. II. §. 65. p. 89. T. II. Lind.

k) Hipp. de morb. L. II. §. 66. p. 90. T. II.

l) Hipp. de locis in homine §. 30. p. 381. T. I. Lind.

m) Hipp. de internis affect. §. 15. p. 216. T. II.

n) Hipp. de intern. affect. §. 10. p. 208. T. II.

o) Hipp. de intern. affect. §. 42. p. 247. T. II.

DIOCLES, ex Hippocratea schola medicus p), phreniticos fortes atque audaces lavacro curari tradidit q). Empirici antiquiores medici vero, quod HERACLIDIS TARÉNTINI curatio phrenitidis et lethargi probat, a CAELIO AVRELIANO r) producta, lavacrum universale quidem ad phrenitidem et lethargum non adhibebant, capitis vero et linguae fatus ad curationem horum morborum in primis commendabant. Methodiae sectae princeps auctor ASCLEPIADES, iue, hoc est gravi et mortifero morbo febrili quoconque, aegrotantibus vomitum et lavacrum probabat s). Reliqui methodici corpora quidem phreniticorum non lavabant, praecipiebant tamen, ut, si linguae atque totius oris siccitas esset, spongia tenera, aqua calida infusa, atque mediocriter expressa sensim universa, quae siccata fuerant, humectarentur, utque declinante accessione aegrotanti pubetenus lanae oleo calido expressae apponentur, atque caput, perseverante alienatione, calida oleo mixta soveretur t). Spongias expressas ex aqua calida post sanguinis detractionem phreniticis applicabant, viribus illaes, aut minus laes existen-

A 4

tibus,

p) vid. Ackermann. instit. histor. medic. §. 148.

q) vid. Cael. Aurel. acut. morb. L. I. c. 12. p. 39. edit. Amann. Amtst. 1722. 4.

r) Cael. Aurel. auctor. L. I. c. 14.

s) Cael. Aurel. acut. L. I. c. 14. p. 43.

t) Cael. Aurel. acut. L. I. c. 9. p. 26.

tibus, latae quoque spongiae, aqua calida madidas, gutturi et mento supponebant^v). Lethargicis methodi quidem balnea non commendabant, nisi declinante morbo, cataplasma tamen capiti imponi in universo morbi decursu iubebant^{vi}).

Pleuriticos methodici quidem ita curarunt, ut locis dolentibus cataplasma apponenter, lavacra vero non adhibuerunt, nisi post tres aut quatuor dies, solutis febribus^x). Vaporationes pulmonum, ab HIPPOCRATE laudatas, reprehendebant, pulmonem ab eis siccari atque purulentum fieri existimantes. In peripneumonia vero spongiarum et cataplasmatum vaporationem aptam esse dicebant: et si enim ad tempus gravari sese sentiant aegrotantes, eorum appositionem aegre tolerantes, tamen ab his plurimum deinde commodi expectandum esse statuebant^y).

Synanchicis methodici fomentationem olei dulcis calidi adhibendam, et exterioribus partibus vesicas oleo dulci calido semiplenas apponendas praeципiebant^z), nec non post phlebotomiā cataplasma commendabant circum colla extrinsecus apponenda,

^v) Cael. Aurel. acut. L. I. c. II.

^{vi}) Cael. Aurel. acut. L. II. c. 6. p. 83. 84.

^x) Cael. Aurel. acut. L. II. c. 18. p. 122.

^y) Cael. Aurel. acut. L. II. c. 26. p. 141.

^z) Cael. Aurel. acut. L. III. c. 3. p. 184.

nenda, miti tamen simplicitate confecta, panem calidum ex aqua et oleo, vel multo diligenter emolitum, vel pollines tritici aut hordei, aut feminis lini, aut foenu graeci. Singula haec laudabant sive commixta ex calida et oleo et melle, sive aqua, in qua fuerit decocta hibisci radix, aut contrita et admixta. Eadem cataplasmata frequenter mutanda esse praeceperunt, ne corrupta corporis exhalatione in acorem veniant. Spongiarum quoque ex aqua calida vaporationem commendabant, aut oleo admixto, aut decoctione mitium materiarum laxativae virtutis. Spongias quoque collo atque gutturi apponi iusserrunt, aegrumque aperto ore ad femet vaporem rapere ^{a)}.

Quae omnia ex methodicorum sectae praecettis tradita et si quidem probant, balnea a medicis huic sectae additis etiam ad febres curandas esse adhibita, probant tamen etiam, methodicos medicos lavacra universi corporis declinantibus morbis acutis, particularia vero balnea ipsis dolentibus locis, aut alio modo affectis, in ipso febrium acutum decursu applicavisse. Balneorum in primis frigidorum usum ad febiles aliasque morbos efficaci consilio et illustri exemplo vulgatiorem fecit ANTONIVS MVSA, methodicus medicus et THEMISONIS

a) Cael. Aurel. acut. L. III. c. 3. p. 185.

NIS affecta, a cuius tamen placitis in hoc decessit, quod frigida frequentius utebatur, AVGUSTO, defluxione periculosisima atque acutissima laborante, laxante antea medicina incassum tentata, frigida atque strigente feliciter curato. MVSAM fecutus est CHARMIS MASSILIENSIS, qui non solum priores medicos, sed etiam balnea damnavit, frigidaque etiam hybernis algoribus lavari persuasit, meritisque aegros in lacus. Tantusque frigidorum balneorum amor homines post haec exempla invasit, ut PLINIVS^{b)} referat, vilos esse suo tempore senes consulares in ostentationem usque rigentes.

CORNELIUS CELSVS, qui neque dogmaticos, neque empiricos, neque methodicos penitus probavit, maxime tamen in medicina ASCLEPIADEM, methodicae sectae primum auctorem, sequutus est, balnea febris utique convenire adseruit^{c)}. Pestilenti febre adfectos maturius, quam in aliis morbis, in balneum ducere opus esse censuit.

In renum acutis affectibus aegros in balnea deducendos esse censuit ARETAEVS, si non febriant: si vero inhaeret febris, in herbarum decocto hominem sedentem collocandum esse, vase usque ad umbilicum repleto^{d)}. Idem auctor ad venae et arte-

^{b)} Plin. L. XXIX. c. 1.

^{c)} Cels. L. III. c. 6.

^{d)} Aretaeus de curat. acut. morb. L. II. c. 8. p. 133. ed. Wigam.

arteriae dorsalis, nec non ad vesicae acutos affec-
tus balnea commendavit ^{e)}, in primis ubi grumi in
vesica haerentes dolorem et urinae suppressionem
effecerint ^{f)}.

Omnium copiosissime de balneorum usu ad fe-
bres curandas GALENVS scriptis. Calore balneo-
rum materias per totum corpus calefieri, liquari,
quae inaequalia sunt, aequari, cutim rariorem redi-
di et multa, quae sub ea antea detenta fuerant, va-
cuari putavit. Deinde quod calida aqua relaxandri
virtute pollet, madorem utilem solidis partibus a
balneo immitti, ubi quis in sicco corporis affectu
eo usus fuerit: cumque mos veteribus esset, ut e-
gressi ex calida aqua in frigidam descenderent, cor-
pus hoc modo refrigerari, cutem densari, et vires
firmari, denique per sudorem citra refrigerationis
noxam corpus vacuari docuit, cumque in uno co-
demque balneo, ob frigidae et calidæ vicissitudines
et rarescat cutis, et constringatur, ad rationalem
febrium curationem pertinere arbitratus est, aegrum
neque in febrium principio, neque in incremento
lavare, ob densatam coarctatamque hoc tempore
cutem carnemque: utilissimum vero balneum esse in
febrium inclinatione vel incipiente, vel praegressa ^{g)}.

Hinc

e) Aretaeus de curat. acut. morb. L. II. c. 7. p. 136.

f) Aretaeus ibid. c. 9. p. 138.

g) Galen. de meth. med. L. X. c. 10. et L. XI. c. 20.

Hinc regula in exercenda medicina et medea praecipienda aegrotantibus GALENI fuit, balnea neque in quoconque acuto morbo, neque in inflammatio, utilia esse prius, quam noxii humores evacuati fuerint, aut concocti^{b)}.

In fluxionibus, quae ad ventrem sunt, balnea utilissima esse GALENVⁱ⁾ censuit, non aeque in sanguinis fluxionibus ac in plethorica dispositione^{k)}, quam tamen curari commode posse adseruit tum frequenti balneo, tum sanguinis missione, cum exercitatione, tum frictione, digerentibus medicamentis et inedia^{l)}. Hinc quoque in affectionibus omnibus, quae cum igneo calore coniunctae sunt, balneum perpetuo iuvare, idque ad febres omnes, et ad omnes siccitates calidas frigidasque magnopere conferre statuit, in primis vero inflammatoria febre affectis opem summam ferre, quibus tamen neque frigidum atque stringens balneum, nisi post declinationem morbi, neque calidum adeo atque relaxans, nisi impura morbi materia expurgata, utile esse tradidit. Generatim in omnibus febribus, quae ab exustione ac frigiditate natae sunt, aegros a balneo utilitatem sentire, nec minus in febribus, quae ex

laſſi.

b) Gal. Comm. in aph. Hipp. VII. 42.

i) Gal. de art. curat. ad Glanc. L. I. c. 14.

k) Gal. Comm. in VII aph. Hipp. 46.

l) Gal. de meth. med. L. XIII. c. 5.

lassitudinibus oriuntur, et quae ex pororum angustia atque obstructione, eadem utilissima esse, febrilemque calorem dissolvere docuit.

Non vero ad inflammatorias tantum febres, sed quoque ad alias GALENVS balnea commendavit. Hectica febre laborantibus balnea auxilium afferre, si vel erysipelas, vel phlegmone, vel putrescentes atque incoerti humores corpus non obsideant ^{m)}, febribusque, quae a putrescentibus humoribus accenduntur, balneum remedium esse, si post humorum concoctionem adhibeatur ⁿ⁾, adseruit. Calida ex aqua potabili balnea in febribus tertianis exquisitis, tam quia aliquid bilis educunt, tam quia humectant, refrigerantque, curationem accelerare ^{o)}, ad ipsamque notham tertianam utilia esse ^{p)}, arte vero facta, atque medicata nocere.

De balneariorum usu in ardentibus febribus GALENVS haec tradidit: Dari posse frigidam aegrotantibus, imo eos in frigidissimam aquam absque ulla noxa posse demitti, si vires valentes sunt, et febris ardentissima, et concoctionis notae planae evidentes, sique aeger bono habitu, neque senex sit ^{q)}, deni-

^{m)} Gal. de marcore c. 8.

ⁿ⁾ Gal. de marcore c. 7.

^{o)} Gal. de arte curat. ad Glanc. L. I. c. 9.

^{p)} Gal. ibid. c. 10.

^{q)} Gal. de meth. med. L. XI. c. 8.

denique si coctionis signa adfint, bilisque salsa atque putrescens iam educta fuerit ¹⁾.

Qui post GALENUM florueri medici, ipsum cum in universa artis et theoria, et exercitio ducem haberent, eundem et in balneorum ad morbos acutos commendatione sequuntur sunt, ita ut, quod et GALENI consilium erat, balnea in febribus non adhiberent, quae ab impura colluvie humorum nascerentur, neque ea praeciperent, nisi concoctione facta, atque declinante febre.

SECTIO II.

DE BALNEORVM AQVAE SIMPLICIS ET MEDICATORVM AD ACUTOS MORBOS VIRTUTE.

§. I.

GENERATIM.

Si proximam febrium acutarum causam spectamus, quam nostri aevi medici in irritabilitate praeter naturam comparata sitam esse statuerunt ²⁾, ea in febribus aut auctor, quam in naturali statu, aut minor,
nutor,

¹⁾ Galen, Comm. III, in Hipp. de diæt. acut. text. 62.

²⁾ vid. Elsner Beyträge zur Fieberlehre p. 18 seq.

nutior, aut abnormis esse poterit. Contra^{ri}a vero cum contrariis curen^t, si aucta in febrili qualicunque morbo praeter naturam est irritabilitas, ea per contrariam curationem minuenda, si minuta, augenda, si abnormis, ad iustum normam reducenda erit. Minuitur vero nimia irritabilitas in quocunque febrili morbo, aut stimulo, qui irritabilem fibram in nimios motus adegerat, deleto, aut obtusiore facto, deletis itaque iis, quae irritabilem fibram stimulaverant, aut ita mutatis, ut tantum stimulum non amplius concitare possint, quantum concitaverant, ipsaque irritabili fibra per sedantem medicinam sic mutata, ut vim stimuli, quam intensiorem experiri solebat antea, minus sentiat, hinc ab eodem stimulo eademque eius in fibram actione in minus vehementes contractiones concitetur.

Sed cum febres quoque existant, in quibus irritabilitas minutior, quam in naturali statu est, putridarum, omniumque exemplo, quas iam antiquior actas typhorum nomine insignire consueverat, curationis cardo in hoc febrium genere in eo verfabitur, ut medicina interne data, aut externe administrata quacunque, diaetaque vitalis fibrae vis instauretur, vitalique actione incitatiore facta naturae vires ita augeantur diriganturque, ut quae impar ante medelam adhibitat fuerat subigendo, coquendo atque educendo ei, quod morbidum fuerat, natura,

nunc,

nunc, instaurata vitali vi, morbo sese opponere eumque ad sanationem perducere possit.

Duplex hinc generatim medendi febribus acutis genus est. Alterum, quod ad minuendam nimiam irritabilitatis vim spectat, quodque hunc finem habet, ut, quae stimuli vice fungebantur, aut educantur, aut ita mutentur, ut fibram exstimulare amplius non possint, utque simul irritabilis fibra in eum statum perducatur, quo et minus acute sentire stimulum, et in minus vehementes motus concitari queat. Eaque methodi febribus medendi antiphlogisticae prima fundamenta sunt.

Alterum genus in contraria curatione versatur. Si scilicet per febrem minuta est irritabilitas, fracta sensibilitas, labefactataque vitalis vis, ea instauranda augendaque est. Quod per tonicam medendi febribus methodum perficitur, qua et mechanicum et vitale robur fibrae augetur, efficiturque, ut coctioni crisiique natura par evadat.

Ad utramque medendi febribus methodum practicam medicinam praefidiis instructam esse efficissimis, nemo facile erit, qui dubitet. Balnea ad utrumque praefidiorum genus pertinere iam antiquitas docuit, recentior aetas, experimento, ut plurimum in ancipiti tantum casu instituto, edocta, didicit. Operae igitur pretium me facturum esse existimavi, si in hoc inaugurali libello inquirerem, quid efficiant

efficiant balnea in animali corpore tam simplicis aquae, quam artificio medicata facta tepida frigidaque. Quo facto quid commodi adversive in febrium acutarum curatione ab iis expectandum sit docebo.

§. II.

BALNEA TEPIDA A QVAE SIMPLICIS.

Tepida balnea ea voco, quibus tantus caloris gradus non est, quantus humano corpori tam in naturali, quam, si ad eum adhibentur, in aegro statu esse solet. In haec ubi corpus immittitur, necesse est, ut eius calor temperetur eodem gradu, quo ipsius balnei calor temperator fuerit. Inest praeterea balneo tepido haec virtus, ut et ob aquarum particulas, quae copiose resorbentur ab ipso corpore, fibrae relaxentur, et ob universam corporis superficiem tepidae aquae eam alluentis vi mollitam humores ab internis partibus ad externas deducantur. Sedans denique inest balneo tepido virtus, partim inde nata, quod et ob superficiem corporis emolitam, et ob universi corporis relaxationem fibra irritabilis concitata in minus intensiores motus prorumpit, partim vero ab ea vi profecta, qua balnea in humores agunt, quos diluunt, solvunt, quorumque acrimoniam minuunt, ut itaque, si aut tenaciores, aut aciores humores irritabilem fibrarum stimu-

B

lant,

iant, hi balneorum ope diluti atque blandiores facili
fibram minus laudent.

§. III.

ACTIO TEPIDI BALNEI IN PARTES FLVIDAS.

Etsi quidem tepido balneo maior efficaciorque
vis in solidas partes est, quam in fluidas, negari
tamen nequit, humorum et quidem aquosorum te-
nuumque copiam in eorum corporibus augeri, qui
balneis tepidis utuntur^{t)}. Quae resorptae aquae non
solum in solidis partibus mutationes §. II. dictas in-
ducunt, sed etiam humores diluunt, efficiuntque, ut
quae nimis antea cohaeserant, nunc, interposito prin-
cipio aquoso temperata atque emollita, dilutiora eva-
dant. Eamque ob causam tepida balnea non solum
in omni morborum genere, in quo humores nimiae
cohaesioneis vitio laborant, efficacissima sunt, sed
etiam ad omnes morbos, in quibus obstructi mea-
tus sunt, in primis valent. Quae balneorum tepido-
rum ad obstrunctiones virtus partim a diluente aqua-
rum resorptarum virtute, partim etiam, recte quo-

^{t)} Quanta sit aquosi principii resorptio, si universa corporis super-
ficies balneis exponitur, per experimenta et computaciones in-
stitutas docuit *Guil. Alexander, Med. Versuche und Erfahrun-
gen p. 22*, quo loco aquarum libras decem et uncias quinque ex
uno balneo ab universo corpore resorberi possa adserit.

que monente Cl. MARTEAU^{u)} inde explicanda est, quod resorpta balneorum aqua tubolorum atque meatuum latera relaxet dilatetque, eoque modo, eorum diametro aucto, efficiat, ut quae impacta in iis haeserant, atque liberum circulum interceperant, nunc propellantur, eoque modo circuli libertas restituatur.

Blanda aqua communis et acrimoniae expers, ubi per universam corporis superficiem resorbetur, et per reforbentes venas lymphatico systemati atque sanguini admisetur, quae acria fuerant in humoribus, temperentur necesse est. Acrimoniae humorum aqua per superficiem resorpta etiam ideo vehementer obest, quod, libertate in circulo cursuque humorum restituta, efficit, ut generandae acrimoniae causa efficacissima nunc, humorum cursu expeditiore factio, agere desinat.

§. IV.

ACTIO TEPIDI BALNEI IN UNIVERSVM CORPVS.

Corpus nostrum ab aere nos ambiente premi experimenta docent: non sentiri vero hoc aeris pondus, quo corpus nostrum premitur, ipsum id, quod experimur in aere degentes, docet: pondus enim

B 2

aeris

^{u)} Abhandl. über die Bäder, Leipzig 1778, 8. p. 20.

aeris in omnia corporis loca cum semper aequo modo agat, ipseque aer, qui in corpore continetur, ob elasticitatem, qua pollet, contra agat, eoque modo externi aeris ponderi eodem gradu resistat, quo superficies ipsa ab eo compressa fuerat, corpus animale ab aeris ipsi incumbentis pondere non gravari sentimus. Id enim absque molesto sensu et incommodo manet.

Quod vero materiae superficiem corporis nostri ambientis pondus si augetur, corpus nostrum mutationes a graviore onere ipsi incumbente sentiat necesse est. Si itaque aeris loco aqua superficiem nostram ambit, quae specifica gravitate longe maiore pollet, eam a maiore pondere intensius comprimi necesse est. Eaque pressio hanc in corpus nostrum vim habet, ut motum spontaneum eodem gradu impedit, quo densius graviusque corpus est, quod eius superficiem ambit: ut ipsum preventis superficiem nostram ponderis onus aut titillationis atque voluptatis, aut doloris sensum nobis imprimat, imprimis si vi quadam ad superficiem nostram adigitur; ut tandem compressione universae superficii omnia eius loca stringantur, fibrae eius itaque breviores, magis cohaerentes evadant, maioremque ad agendum vim nanciscantur. Densatio re hoc modo cute facta, et angustatis vasis subter cutem positis, necesse est, ut sanguis reliquie humores

mores maiore vi ad internas partes refluant, ut itaque dato temporis spatio maior sanguinis copia ad cor meet, quam eodem temporis spatio, corpore pressioni tantum aeris exposito, fuisse factum; ut itaque motus cordis, et qui a corde pendet, arteriarum, ob auctum affluentis sanguinis stimulum augeatur, eoque modo aucta actione continentium vasorum in sanguinem, et accelerato sanguinis curfu, ipsae sanguinis particulae exactius misceantur, quae obseruant libero circulo in minoribus vasis solvantur, auctaque secernentium organorum actione et sanguine ad ea copiosius velociusque adacto, secretiones et excretiones, quibus sanguis materiam praebet, augeantur.

Qui in balneum corpus demittunt, pectoris quandam angustiam et in spirando difficultatem qualcumque sentiunt. Quod a pressione ponderosioris aquae, pectori incumbentis aerisque inspirati pressioni, qua in pulmones agit, non respondentis, pendet, unde sanguis reliquique humores ad pulmones, resistere minus valentes, ire coguntur et respiratio, cum eaque excretio aeris phlogisticati ex pulmonibus ^{vii) libenter be sup} auctior, acceleratior redditur.

Balneo etiam haec vis ineft, ut cutim abstergat, a fordibusque ei inhaerentibus liberet, eo-

que
vii) Priessley on different Kinds of Air Vol. III, Sect. V. pag. B 3

vv) Priessley on different Kinds of Air Vol. III, Sect. V. pag.

que modo et fatis notabilem causam acrimoniae, quae in cute existit, tollat, et liberando vias secretionem, quae in cute fit, atque excretionem adiuvet. Homines post balnea melius perspirare, et ad sudorem pronus esse, antiquam observatio fuit^{x)}.

Tandem etiam memorandum est, cum, HIPPOCRATE iam monente, totum corpus et exhalet, et inhalet^{y)}, corpora eorum, qui in balnea sese de- misere, plurimum aquarum ipsius balnei inhalare, et si medicatum balneum est, medicinae etiam particulam non exiguum hoc modo in corpus ferri posse. Frigus cum fibram vehementer stringat, et lumina pororum angustet, minor a frigido balneo sit resorptio necesse est: calor vero cum relaxet, et stimulo suo vim, qua pollet fibra, eaque, qua pollut vasa, intendat, e calido balneo maior, copiosiorque resorptio esse debet, eoque copiosior, quo calidius ipsum balneum fuerit.

§. V.

BALNEA CALIDA.

Balneorum temperatura cum a frigidissima usque ad calidissimam, quam humanum corpus ferre valet,

^{x)} Andr. Bacii de thermis L. III. c. 3.

^{y)} Hipp. Epid. V. cf. Struv. in libello, qui inscribitur: locus Hipp. epid. V. explicatus, Nordhuf, 1760. 8. et Io. de Gorster de perspirat. insensib., c. I.

valet, esse possit, calida balnea generatim ea vocanda sunt, quae maximum caloris gradum, quem humanum corpus ferre possit, habent. Cum vero corpus animale, sub temperato praeferuntur caelo, calorem non diu ferat absque incommodo universam superficiem ambientem, ipso animalis corporis naturali calore multo maiorem, de his balneis tantum calidis hic sermo esse poterit, quae temporem quidem superant, calorem vero 100 graduum thermometri Fahrenheitianii non excedunt²⁾.

Calidorum vero balneorum effectus hi sunt: irritant cutim universam, cui applicantur, eamque rubicundorem reddunt, ac, si nimis calor fuit thermarum, inflammant. Quod RIVERII^{a)} observatio probat de muliere, quae in exitu balnei calidioris in tantam totius corporis phlogosin inciderat, ut nullo temporis intervallo a doloribus et anxietatis vacaret, tandemque balneo ex sola aqua tepida adhibito ab omni dolore liberaretur.

Haec irritatio superficie, iuncta cum rarefaciente vi, qua omnis calor pollet, efficit, ut et humores

B 4

res

2) Vult quidem cl. Marteau, balnea calida esse ea, quae calorem maiorem eo, qui in hominis corpore est, habent, et sudorem producent: (*Abschallung über die Bäder p. 5.*) sed multo auctiorem et universae superficie applicatum calorem, eo quem ipsum habet humanum corpus absque noxa diu non fert.

a) Observat, communicat. 33.

res rarecant, et intensiore motu per universum corpus agitentur, aucta per calorem fibrarum ipsarum actione. Hinc velocior humorum turgescientium motus: intensa magis continentium actio: cordis, arteriarum motus velociores: humorum ad superficiem aditus liberior et ob irritationem acceleratior; febris species, quae sudore copioso, quia tale balneum ut plurimum excipit, solvitur.

Resorptio humoris, qui corpus ambit in balneum demissum, eo minor est, quo frigidius, eo maior vero, quo calidius balneum ipsum fuerat. Hinc a balneo calido praeter molem humorum apparenter auctam a rarefactione, ob admixtas fluidiores particulas, quae resorptae fuerant, eorum copia augetur, et abundantiae species nascitur, quae iuncta cum his, quae per rarefactionem et calorem facta erant, efficit, ut symptomata plethorae commotae, pressionis, suffocationis, anxietatis, palpitationis cordis, vertiginis, haemorrhagiarum, imo apoplexiae nascantur: ut vero etiam fibrae, praesertim cutaneae emolliantur, relaxentur, humores diluantur, acrimonia in iis haerens involvatur, obstructa, infarcta, referentur, circulus humorum ad superficiem acceleretur, producataque sudoris profusione efficiatur, ut corpus a peregrinis materiis, quae in eo haeserant, liberetur.

§. VI.

§. VI.

ACTIO FRIGIDORVM BALNEORVM.

Cum ad corporis humani varios effectus frigida balnea valeant, eademque ad febrium acutarum gravissimarum curationem ab antiquissimis inde temporibus sint commendata, de eorum vi nunc generatim dispiciendum est. Ea vel frigidissima sunt, ad quod genus balnea pertinent ex frigidissima aqua parata, cui glacies comminuta adiecta est, vel minutius frigus, aut ob atmosphaeram temperatiorem, aut ob tepidiorem aquam additam, habent. Virtutem balneorum diversam esse pro diverso frigoris gradu, summanque habere frigidissimam, minus vero validam minus frigidam, facile perspicitur.

Superficies autem corporis nostri ubi in frigidum balneum demittitur, hae in ipso corpore mutationes accidentunt: Cutis adstringitur, densaturque, qui effectus generalis omnis frigoris est. Fibras enim cutis breviores reddit, et in maiorem et angustiorem cohaesionem redigit, expresso eo, quod partibus fibrae interfuerat, cohaesionemque arctiorum impediverat. Hinc etsi frigus corpora quidem cogit, ea tamen ita durat, ut ab iniuriis, quibus humana vita exposita est, noxas longe minores experiantur, quam quae sub calido caelo degunt, ut-

que vegeta atque florida senectus eos etiam maneat,
qui sub frigidissimo caelo vivunt b).

Non enim fibrae per frigus adstrictae mechanicae dotes tantum augentur, elasticitas eaque virtus, qua laesionibus omnibus tam ab interna, quam externa causa ortis resistere valet, sed vitales quoque: ut enim fibra vitales suas dotes recte exserat, opus est, ut mechanicis dotibus debitis gaudeat, in primis ut relaxatione, quod vitium a frigore efficacissime corrigitur, non laboret. In adstrictam enim fibram, cuius cohaesio non supra modum aucta est, et stimuli efficacius agunt, et contractio excitata fortior atque vegetior existit. Frigido itaque balneo et adstringens vis inest, qua cohaesio fibrae augetur, eaque, quae iustae cohaciōni adversa sunt, tolluntur, et roborans, qua irritabilis fibra in hunc statum perducitur, ut irritamenta et recte sentiat, et in motu neque nimis debiles, neque nimis fortes abnormes concitetur: nervorum vero influxus ita dirigitur, ut neque acutiore atque celeriore sensu polleat fibra, neque ad sensum torpida sit. Ad torpidam vero vitalem vim in fibra excitandam augendamque frigus, in primis intensiore gradu applicatum, vim summam habet, ut itaque frigidorem aerem, frigidoremque aquam, praesertim corpori cum impetu

b) vid. *Dav. Cranz Ges̄h. v. Grönland* B. VIII. §. 5.

quodam applicatam excitantibus praeftantissimis medici adnumeraverint ^{c)}). Ob constrictiōnem autem maiusque robur, quod frigida superficie soli applicata huic inprimis, et universo etiam corpori conciliat, cutis cum spirantibus et inhalantibus vasis stringantur necesse est; hinc his, qui frigido balneo utuntur, neque magnam resorptionem esse ^{d)}, neque in ipso balneo humores ad cutis spiracula vehementius deverti. Adigi contra humores ex constrictiōne superficie vasisque cutaneis contractioribus ad internas partes, ita ad contractionem stimulata superficie, ut corpora inhorreant, et invite tremant, augeri hoc modo humorum in interioribus corporis partibus molem, sanguinem ad caput, pulmones, cor, intensiore vi propelli, hinc crebriorem spirationem, gravitatis in capite sensum, pulsū contractum, parvum, irregularem, ut in spasmodico morbo affectis oriri, sed mox, ob sanguinis crebrius ad cor acti copiam, motus cordis concitatiores fieri, sanguinem maiore vi per universum corpus propelli, donec superato, quod constrictio superficie a frigore applicato efficerat, impedimento, humorum

circu-

c) cf. *Thedenni vir. ill. Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundärztekunst und Arzneywissenschaft Th. II. Kap. 32.*

d) *Arbuthnot essay sur les effets de l'air pag. 205; Marateau Abhandl. über die Bäder p. 44.*

circulatio liberior atque vegetior evadat. Frigido hinc balneo febrilis insultus speciem induci, cuius primum stadium, horroris videbitur, non incongrue cum his comparatur, quae in initio in frigidum balneum descendantibus eveniunt, alterum vero, caloris nempe, cum his, quae eveniunt, ubi per ipsam frigoris superficiem afficientis actionem motus cordis concitator factus est. Tertium febrilis insultus stadium, sudoris nempe, commode ei comparatur, in quo versantur homines, qui frigido balneo egressi sunt. Auctior enim in his esse solet perspiratio, ita ut saepe in sudorem transeat: aquosae omnes secretiones et expeditiores, et copiosiores sunt.

Princeps hinc balnei frigidi vis in adstrictione fibrae, nec non in robore eius auctio ac in secretiōnibus aquosis concitatoribus factis sita est. Adstrictionem et maiorem fibrarum contractionem constituta in balneo cutis, adstrictaque musculis subter cutem siti probant: robur auctius vires corporis maiores, agilitasque eorum, qui ex frigido balneo egressi sunt. Reforctionem ex frigido balneo minorem esse, quam ex calido, ex constringente vi, qua in fibras cutis agit, intelligitur: reforberi tamen ex tali balneo humorem, partim fortior facta per frigidum balneum cutis et cutaneorum vasculorum actio, partim etiam effectus balnei docent, quibus aquosae et secretiones et excretiones semper augentur. Hinc licet frigidum

gidum balneum humores non tanta vi diluat, qua calidum tepidumque, imo ob stringentem vim, qua pollet, humores cogat, atque in angustius spatum redigat, tamen resorberi humoris particulam e balneo, hanc corporis humoribus admisceri, eosdem diluti hoc modo atque attenuari, negari nequit.

Duplicem hinc frigido balneo in humores atque contrariam virtutem esse, quidam haud incongrue adseruerunt, stringentem scilicet, atque cogenitem, et, quae post stringentem sequatur, diluentem atque attenuantem. Adstrictionis vis, et si primario in solidas partes agit, fluida tamen non intacta finit, eademque ratione, qua fibra cogitur, qua vasa in angustius spatum rediguntur, qua dotes fibrarum mechanicae increscent, qua itaque fibrae, vasa, magis resistunt, maioreque vi in pristinum statum se restituunt, fluida quoque in fibrarum intersittiis et in vasis contenta in angustius spatum redigantur, partes ad cohaesione aptae sibi invicem magis appropinquentur, fluidior tenuiorque pars et ad arctiorem cohaesionem minus apta exprimatur, eoque modo humores concentratores et meraciores evadant necesse est. Hacc in solidis fluidisque partibus mutatione locum maxime habere potest, ea balnei actione durante, qua superficies cum universo corpore adstringitur: ubi vero cordis et arteriarum motus per ipsam adstrictionis vim vehementior ac sanguinis

nis et progressus a corde, et regressus per venas acceleratio factus est, humores, qui et progressionem, et intestinum motum intensorem experiuntur, nunc diluuntur iterum, atque attenuantur. Adiuvat hanc attenuationem calor ob auctum motum progressivum et intestinum auctior, quem virtute ad diluendos humores plurima pollere constans observatio docuit.

Nunc quoque ea balneorum frigidorum vis, qua acrimoniae adversantur, facile intelligitur. Acrimoniae fluidorum atque dyscrasiae cum non nascantur in corpore, nisi solidorum tenore praeter naturam mutato, obesse acrimoniae humorum ei, quae per fibrarum relaxationem nascitur, balnea frigida, vim partium solidarum instaurantia, intelligitur. Ea in primis acrimoniae species, in qua humores solutiores, et ad putrescendum proclives apparent, balneorum frigidorum aut simplicium, aut medicatorum usu potenter corrigitur: quae enim cum pendeat a labefactata solidorum mechanica et vitali vi, eadem restituta emendetur necesse est.

Haerentes in vasis receptaculisque humores crassi alienam naturam atque acrimoniam induunt, quae corrigitur eorum, quae stagnaverant, motu aut instaurato, aut expeditiore facto. Quae vis balnearum frigidorum ad motum humorum augendum cum insignis sit, liquet ea etiam hoc respectu vim

ad

ad acrimoniam summam habere. A qua virtute, cum diluente iuncta, summa vis explicanda est sine dubio, quam frigida et simplicis et marinae aquae balnea ad scrofulosum vitium habent ^{e)}.

Inest tandem etiam frigido balneo ob resorptas in corpus aquarum particulas vis diluens, qua id quod acre in humoribus est, temperatur, involviturque.

§. VII.

BALNEA MEDICATA.

Balnea aquae simplicis calida, tepida atque frigida insignes quidem virtutes, tam ad sanitatem conservandam augendamque, quam ad morbos depellendos habent: calido enim balneo vis relaxans, spasmum, irritationem sopiaens, humores a partibus internis ad externas deducens, diluens, acrimoniam involvens; frigido vero vis adstringens, vim vitalem augens, humores ad partes internas a superficie propellens, motum cordis, vasorum, circulum humorum augens, diluens, acrimoniam involvens summa est: attamen de utriusque balnei virtutibus augendis medici non infelici cum successu cogitabant. Cum enim calidi balnei primaria virtus ad

e) cf. Kortum commentat, de vitio scrofuloso T. II. Seç. 3. c. 5.
§. 83. pag. 142.

emollientem et relaxationem, frigidi vero ad adstringentem et roboris restitutionem spectaret, admiscerunt medici aquae tam calidae quam frigidae medicamenta, quae et relaxantem emollientemque, et adstringentem roborantemque eius virtutem augerent.

§. VIII.

BALNEA RELAXANTIA, EMOLLIENTIA.

Ea medici diverso modo composuerunt. Iam ad domesticam balneorum medicinam pertinet cum aquis surfures fecalinos triticeosque coquere, iisque aut universum corpus, aut certam corporis partem immittere. Alli saponem, alii cineres, ob solventem et relaxantem alcalini salis vim, addi iusserunt. Quidam lini semen cum aqua coqui, corpusque aut adfessam partem in eam aquam demitti jubent. Eaque balneorum genera omnia ad facilia comparatu pertinent. Alli medicata balnea fecerunt emollientibus et relaxantibus additis aliis, althaea, parietaria, malva, verbascō, amygdalarūm post olei expressionem residuis surfuribus, foenu graeco, rel.

Haec medicamenta balneis calidis tepidisque adita eorum emollientem atque relaxantem vim augent necesse est. Partim enim fordes eaque omnia, quae poros obstruxerant, interceperantque abstergendo agunt, eoque modo efficiunt, ut vasa

mai-

maiorem ad resorbendum libertatem nanciscantur, quo fit, ut aquosum emolliensque principium maiori copia in corpus feratur, partim vero effectum emollientem relaxantemque, quem aqua calida in cutis fibras habet, augent, fibras magis laxant, molliunt, resistentiam minuant, efficiuntque, ut plus humorum in relaxatam ampliatamque superficiem advehatur, corumque impetus ad interna viscera minuantur. Efficiunt denique, ut quae per cutis vasa spiraculaque succedere solent, secretiones atque excretiones augeantur.

§. IX.

BALNEA MEDICATA AD STRINGENTIA.

Ea medici partim ita parare docuerunt, ut frigore aquarum artificio aucto vis adstringens robansque balnei frigidii augeatur, partim ut adstringentibus aut roborantibus medicinis cum aquis mixtis earum vis stringens intensior evadat. Addidere eum in finem frigidae aquae sal ammoniacum, aut sal mirabile Glauberi, cui quidam vim ad aquam frigefaciendam maiorem adscripsere, quam ipsi sali ammoniaco f^r). Quidam frigus aquarum auxerunt, glaciem comminutam frigidae addendo. Alii corpora in nivem demisere, a cuius excitante vi esse-

ctus,

f) vid. *Mosley on tropical Diseases*. Lond. 1787. 8. p. 52.

C

etus, quem nix ad resuscitandos eos habet, quibus
frigus vitae flammat minuerat, pars non exigua
explicanda est.

Ad vim balneorum adstringentium augendam
medicorum consilium fuit aquis adstringentia ex ve-
getabili regno admiscere. Ad paratu faciles ex hoc
genere medicinas balneum pertinet, quod ex aqua
constat simplici, in qua cortices querni, aliisve ad-
stringentes comminuti macerati sunt. Hac medicina
coriarii, ceu comparatu facilis, ad quoruncunque
fere morborum, quibus afficiuntur, initia utun-
tur. Balneum id medicatum utplurimum sudor ca-
lidus, universalis, subinde cum levamine iunctus
excipit g).

Ad eadem balnea adstringentia pertinent, quae
BILGVERVS vir ill. parari docuit, quibus ad febres
putridas dysenteriamque castrensem curandam cum
plurimo successu usus est, ita ut quos antea, cum
antisepticis medicinis pugnaretur, dira mors crebro
fuerat insequuta milites in castris degentes, nunc his
adhibitis fere omnes morti eriperet. Composita au-
tem erant haec balnea ex infuso florum chamomil-
iae concentratiore, corticum quernorum teneriorum
libris

g) vid. Luc. Schroehk in eph. natur. curios. ann. VI. VII. observ. 229.
Cl. Ackermann in Ramazini libro von den Krankheiten der Künft-
ler und Handwerker Seßt. I. C. 1. Vol. I. p. 25.

libris quatuor et nitri libris duabus^{h)}. Eaque balnea, ut maior esset resorptionis vis, maiorque anti-septicarum, adstringentiumque medicinarum efficacia, tepida adhiberi iussit.

Pertinent ad eiusdem generis balnea corticis Peruviani aliorumque febrifugorum infusiones atque decoctiones, quibus medici febrium intermittentium et putridarum medelam moliti sunt. Amarum corticis atque nauseosus sapor, quem delicati aegri non semper amant, medicos primum eo duxisse videtur, ut vias excogitarent febrium sanandarum corticis ope, non per os, sed per alias vias in corpus ingesti. Clystres, HELVETIOⁱ⁾, duce, primum adhibuerunt ex Peruviano cortice decocto, eosque in propulsandis febribus utilissimos fuisse ipsius HELVETII^{k)}, SWIETENII^{l)}, LINDII^{m)}, QVARINIAⁿ⁾ testimonia, ut alios taceam, probant. Alii febricitantes pedes cruraque in decoctum corticis Peruviani immittere iusserunt, neque eos tunc spes febris propulsandae fellit.

C 2

h) *Ioh. Utr. Bilger Verfiche und Erfahrungen über die Faulfeber und Ruhren*, Berl. 1782. 8. §. 51. p. 91.

i) Méthode pour guérir toute sorte de fièvres sans rien faire prendre par la bouche. à Paris 1694. 12.

k) *Helvet.* l. c. p. 13 seqq.

l) *van Swieten Comm. ad Boerh. Aph.* 767. p. 567. edit. Hildburghaus.

m) *Lind on the Diseases in hot Climates* p. 312.

n) *Quarin meth. medend. febr.* p. 137. cf. *I. H. Rahn* advers. med. praet. Vol. I. p. 62.

sellit ^{o)}). Et spes utique est, fore, ut ex adstringentium genere cortices, quorum copiam natura nobis obtulit maximam, infusi decoctive cum aqua, easdem virtutes praestent, quas BILGVERVs in querono, et ALEXANDER in Peruviano cortice experti sunt.

Virtus vero balneorum adstringentium atque roborantium vehementer augeatur, necesse est, si cum aquis ad balnea adhibendis adstringentia infunduntur decoquuntur. Cumque putredinis vis in eo sita est, ut cohaesionem solidarum fluidarumque corporis partium solvat, haec vero medicamenta cohaesionem augeant, roburque fibrae instaurent, facile liquet, in iis universae superficie, resorptionis vi maxima praeditae, applicatis vires et ad putridos morbos, et ad omnes alios, qui cum infirmitato solidarum partium tenore iuncti sunt, summas inesse debere.

Alia ex adstringentium classe balneorum genera lubens praetereo, quod hactenus ad febres curandas adhibita non sunt, balnea martialia, aluminosa, vitriolata, sulphurea.

§. X.

^{o)} Guil, Alexander medic, *Versuche und Erfahrungen* p. 29.

§. X.

BALNEA EXCITANTIA.

Ad haec balneorum genera frigida balnea, glacies tepenti aestuantive corpori applicata, de quibus iam supra dictum est, pertinent. Ea enim non astricativa solum virtute pollent, sed etiam acutiore, quem excitant, sensu, torpidam ad sensum motumque fibram incitant, eamque in motus intensiores, et perstinaciores concitant. Hinc eo efficaciora ea esse observatio docuit, quo sensu acutiore per naturam praeditus locus sit, cui adhibeantur. Ad eadem haec genera pertinent ea balnea, quae irritante vi, qua pollent, sensum acriorem in exterrinis partibus inducunt, efficiuntque, ut, irritamento in loco quodam inducto, id fibrarum vitalem vim in universo corpore augeat, ut motus intensior, calor austior, vires constantiores, austiores evadant. Ad quod genus, praeter cantharidum, et tincturae cantharidum externum usum, ea balnea pertinent, quae parantur ex pulvere finapi aquis, quibus ad balnea utimur, addito. Eaque balnea et excitante motusque augente virtute plurima, et ob localem, quam inducunt irritationem, vi revellente ac derivate gaudent.

Resorptio ex balneo cum tanta sit, ut utique multum auxiliis a resorpto medicamento, quod sub balnei forma fuerat adhibitum, medici sperent, ut-

C 3

que

que adeo quidam arbitriati fuerint maiorem medicamentorum copiam in penetralia corporis per resorbentia vasa ferri ea, quae per os sumi ab homine possit, minusque mutata medicamenta in corpus per inhalantia vasa perveniant, quam ubi actionem ventriculi, intestinorum experta et ab admixtis humoribus gastricis, bileque alterata fuerint ^{p)}, medici facile eo adducti sunt, ut et ab excitantibus medicinis externe sub balnei aut fomenti forma adhibitis multum auxiliū in viribus ad morbum ferendum paribus reddendis sperarent, et ipsam morborum acutorum, in primis putridorum causam eodem modo longe efficacius, quam per interna medicamenta fieri possit, debellari posse arbitrarentur. Quem in finem medicinas putridae solutioni corporis adversas sub balnei forma eos adhibuisse supra (§. IX.) iam memoratum est. Ad utrumque finem, nempe et ad viarium instaurationem, aestusque extincionem, et ad putredinis curationem alii febre putrida aliqua quaque laborantibus, in qua vires depressae sunt, et aestus aegrotantem exercet, acetum aut tepidum, aut subfrigidum, externe, fomenti aut balnei localis forma applicari iusserunt. Alii aceto lapidibus carbonibusque insperso acidum vaporis balneum effecerunt, quo inhalato solvi materias in p-

atore

^{p)} Bilguer über Faulfieber und Rubren §. 46. p. 82. cf. Hemmann med. chirurg. Aufsätze p. 43.

store haerentes et putredini adversam materiem in pulmones et per inhalantia vasa in corpus reliquum ex univerla superficie ferri exstimarunt. Quod consilium etiam successu non caruit.

Vinum, cuius roborantes atque excitantes virtutes remotissima quoque antiquitas non ignoravit, ad eosdem usus adhibitum est, aut meracum, aut aqua temperatum. Auxiliumque id tulisse plurimum, vires potenter instaurasse, putredinem emendasse, efficuisseque, ut morbus ad speratam iudicationem perduceretur, observations plurimae probant^{q).} Adhibitum autem est aut balnei localis, aut fomenti forma. Maxime profuit spongia vino subacido turgida, loca humectare, lentaque, quae per spongiam fit, frictione efficere, ut resorptionis negotium acceleretur.

Tandem quoque ex excitantium classe medicamenta balneorum aut fomentorum forma adhibuerent medici cum successu plurimo ad febrium curationem. Corticem Peruvianum decoctum, aut cum aqua vel vino infusum, radicem serpentariae Virginiana cum aqua calida vel vino infusam, radicem contrayervae, arnicae flores, radices, ad eundem finem medici commendarunt. Maximos autem usus

q) cf. Huxham de aere et morbis epidemicis. in oper. Tom. I. p. 329. Sam. Gottl. Vogel Handbuch der prakt. Arzney. Th. I. C. 7. §. 170. p. 408. §. 184. p. 121. ubi vid. autores, qui citantur.

praefit in putridissimis morbis camphora aut cum aceto , aut cum vino , aut cum mucilaginoso quodam menstruo soluta. A linteis camphorae concentratiore solutione madidis , quibus universum corpus involvebatur , Illust. Moguntinus Archiate C. L. HOFMANNVS in pernicioſiſſimis atque putridiſſimis variolis plurimam salutem expertus est.

SECTIO III.

DE BALNEORVM AD FEBRIVM CURATIONEM ADHIBEN- DORVM RATIONE.

§. XI.

GENERALIA QVAEDAM.

Iis nunc generatim de balneis expositis , quae ad febres earumque per balnea curationem spectant , (de reliqua enim balneorum virtute ad alios morbos differendi propositum non habeo) quatenus balnea ad febres speciatim valeant , et in quibus ea medicatam virtutem observatione teste exseruerint , nunc dispiciendum est.

Triplex balneorum genus erat , quae ad febres curandas adhiberi possunt , alterum emollientium atque relaxantium , alterum adstringentium atque roborantium , tertium excitantium ac robورantium .

Rela-

Relaxantia atque emollientia balnea quod attinet, ea in omni morbo adhiberi posse, in quo fibra strictriae motusque nimii vitio laborat, ac in quo fluidae corporis partes condensatae liquatione atque maiore tenuitate egent, et ratio suadet, et experientia docet. Haec vero in inflammatoria febre et generali, (synochum imputrem **GALENVS** dixit) et cum locali inflammatione iuncta locum cum habeant, emollientium atque relaxantium balneorum vis ad eas ad crisi perducendas insignis erit, tam eorum, quibus universum corpus immittitur, quam localium, aut parte affecta videlicet in balneum emolliens atque relaxans mersa, aut parte ipsa fotu humido tepidoque emolliente aut relaxante fota.

Putridorum morborum cum haec natura sit, ut vis, quae vitae praefest, in iis minutior existat, in solidisque partibus et mechanicae dotes et vitales minutae sint fluidaque solutiones factae diffundant, adstringentia balnea et roborantia, quae affectionibus, per quas febres hae existunt, potenter obsunt, ad hos morbos plurimum auxillii praefabunt, et quidem aut talia, quibus universum corpus immittitur, aut localia, locis his in ea dimissis, in quibus resorptionis vis plurima est, aut denique epithemata fotusque dictam vim habentes.

Cum vitae vis in omnium morborum, in primis acutorum, qui ob celeriorem decursum eam poten-

tius afficiunt, curatione summam attentionem requirat, ac in plerisque ex typhorum putridarumque febrium classe omni modo instauranda sit, instaurantia balnea, ob excitantis medicinae externe adhibitae copiosam resorptionem, ad hunc finem non solum in primis conducent, sed etiam cum id, quod mutantur est per morbum, potenter corrigan, morbo ipsi curando maxime inservient. Inerit itaque iis, quod cuique medicinae inesse debet, qua eminentiora symptomata depellere gestimus, vis ad symptomata haec depellenda ipsumque morbum curandum.

Sed uti omnis medicina, utut maxime salutaris, adversam virtutem exserit, si praepostore ac praeter rectam indicationem adhibita est, ita balnea etiam in morborum acutorum curatione tantum nocebunt praeter indicationem adhibita, quantum prodierunt, ex recta indicatione administrata. Hinc sci-re expedit, quando a balneis in acutarum curatione aut nulla salus expectanda, aut morbi mutatio in deteriorius metuenda sit.

Et primum quidem notandum est, eos qui humorum crudorum copia laborant in primis viis collecta, balneo uti non debere: balneum enim his nec corrigendis, nec educendis aptum est. Hinc etiam GALENV^r) recte notavit, se aliquos, qui cruditate laborarant, scivisse nullo affectos dolore, cum quiete-

^{r)} De sympt. causis L. II. c. 5.

quieviscent, cum vero in balnea fuissent ingressi, horruisse: balneum enim excrementia, quae prius quieverant, calefaciendo, attenuando, ac in spiritum vertendo in motus concitare. Hinc etiam veteres eos non esse balnearios censuere, qui nuper comedenter, vel biberint^{s).}

Deinde recte veteres monuerunt, medicum in balneo ad quascunque febres adhibendo tribus possimum intentum esse debere: primum ut citra horrem balneum administretur, quoniam horror intendere febrem potest: deinde ut nullum viscus primae notae sit imbecillum, neque natura intemperatus, neque intemperie ex praecedente morbo contracta laborans, tandem ut multitudine crudorum humorum in primis viis non continetur^{t).}

In febrium quarumcunque exacerbatione balnea praecipi non debere, veteres unanimi consensu censuerunt; partim ob horroris ab balneo industi febrisque ob eo auctae metum, partim quod veteres balnea hoc modo ordinabant, ut homines primum in calidum descenderent, dein in frigidum, postea vero sudarent, quas mutationes febris exacerbationi minus, magis remissione convenire recte existimarentur.

Generatim notandum est, laedi a balneo emolliente atque relaxante calidoreque omni febre putrida

^{s)} Gal. meth. medend. L. XI. c. 20.

^{t)} Gal. meth. medend. L. X. c. 10, L. VIII. c. 3.

trida affectos, cum fibram relaxet, et minus robustam faciat: laedi contra adstringente, roborante atque frigido, quibus stricta fibra est et corpus aut plethora, aut inflammationis vitio laborans: excitans tandem balneum semper obesse, si vires aut ob fordium in primis viis collectionem, aut ob quamcunque etiam causam interceptae sunt.

§. XII.

FEBRES INTERMITTENTES.

Intermittentes febres per febrisfuga alia via, quam per os in corpus ingesta sanare primus tentavit HELVETIVS, celebris apud Parisinios quondam medicus. Cum enim alii stomachum gravari a cortice Peruviano, febrisfugorum nobilissimo, alii pectus praeter naturam affici, alii calorem ipsis atque aestum augeri quererentur, alii amaram atque linguae minus gratam medicinam recusarent, eoque modo multa obstarent, quo minus praestantissimi medicamenti usus vulgatior ad febres fieret, is consilium cepit febrium intermittentium ita curandarum, ut Peruvianus cortex non devoraretur ab aegrotantibus, sed iis per alvum iniiceretur. Vnicam igitur unam corticis Peruviani in pulverem subtilissimum redacti cum aquae tepidae uncii duodecim misceri iussit, hancque mixturam in aegrotantis alvum sub accessionis febrilis finem inibi, hosque clysteres tempore

pore a febre vacuo durante ter per diem reiterari, usque ad sanationem. Clysteribus ex cortice Peruviano recte administratis statim sanationem subsequi retulit, nulla amplius accessione febris insequente: rarius febrem sub hac medela post unam adhuc insequentem accessionem terminari, rarissime post duas. Febrem ultra tres accessiones, administrato ex proscripto cortice, perdurasse se nunquam vidisse refert^u). Deleto febrili accessu, eosdem clystera, et quidem bis per diem, per sex dies continuari iussit, dein sex insequentibus diebus semel de die. Ut refineantur clystera, singulis unciam dimidiā syrapi papaveris albi addi iussit. Quae medicina syrupo de meconio aut opio ipso cum aqua soluto longe minus valens est. Febrium remittentium sanationem ita instruxit, ut concentrateae corticis Peruviani decoctioni uncia pulveris corticis admiscetur, haecque mixtura in alvum aegrotantis sub exacerbationis finem immitteretur. Talesque clystera omni quatrihorio repeti usumque eorum per duodecim dies sic continuari iussit. Curavit hoc modo lactentes pueros, quibus singulis clysteribus duas drachmas corticis Peruviani in alvum immitti iussit. A quarto usque ad sextum annum drachmas tres, ab hoc usque ad decimum quintum unciam dimidiā,

^u) Methode pour guerir toute sorte de fievres sans rien prendre par la bouche par Mr. *Helvetius*, à Paris 1694. 12, p. 13.

diam, ab hoc usque ad vigesimum primum drachmas sex sufficere ad curationem arbitratus est. Debilis et tenero intestinorum sensu praeditis omnibus dimidiata dosis praecipit.

Sanavit autem hac medendi methodo febres intermittentes soporofas, dysentericas, cum delirio phrenitico in accessione iunctas. Nocere tantum observavit eam, si abdomen aegrotantis tumidum tensumque est ^{v)}.

Quam pluribus exemplis utilem ad febres intermittentes curandas probaverat ^{x)}, eadem medendi methodum alii quoque probatores medici talem experti sunt. Vbi amarum corticis saporem fastidiant aegri vel a iunioribus impetrari nequit, ut corticem aut eius praeparata sumant, tuto et aequali cum successu ac si devoratus fuisset, clysmate injectum corticis decoctum, vel eius pulverem aqua dilutum idem omnino efficere ^{SWIETENIUS} ^{y)} docuit, nisi quod maiori corticis copia opus sit, quam si per os assumeretur, triplex nempe plerumque. Vno autem altero clysmate ex melle, cum sale gemmae, vel simili, alvum primum eluendam esse praecipit, ne faeces in crassis intestinis haerentes obstant,

v) *Helvet.* l. c. p. 17.

x) *Helvet.* p. 33 seqq. p. 43 seqq.

y) Comment. in Boerh. aph. 767. tom. II. p. 567. ed. Hildb. cf. Renandin in Rich. de Hauteferk recueil d'observat. t. II. p. 6. Murray app. med. vol. I. p. 576.

stent, utque postea diutius clysmata ex cortice Peruviano parata vacuis intestinis retineri possint. Nontandum etiam est, haec clysmata, cum scopus sit illa retinere in corpore, uncias quinque vel sex non debere excedere in adultis, vel unciam unam alteramve in iunioribus, ne mole sua intestina concident. Videlique SWIETENIVS, saepius hanc methodum in iunioribus successisse. Successit etiam praestantissimo medico, IACOBO LIND²⁾, qui clysteribus ex extracto corticis Peruviani cum aqua soluto febres sanavit. Is, ut retineantur clysteres eo saepe, iis laudani liquidii Sydenhami, aut tincturae thebaicae aliquot guttas adiecit.

Isque felix successus corticis Peruviani in intermittibus febribus curandis clysterum forma adhibiti movit GVILIELMVM ALEXANDRVM, medicum Edinburgensem celeberrimum, ut quid in balneorum forma adhibitus cortex Peruvianus ad febres intermitentes valeret, per experimenta cognosceret. Postquam edocitus fuerat per experimenta, resorberi corticis particulam haud exiguum in ipsum corpus, si pedes decoctioni huius medicamenti immisisset, urinamque post tale pedum balneum emitti a sanorum urina diversam et vim habentem carnes contra

²⁾ On diseases incidental to Europeans in hot climates p. 312. cf. Rahn advers. med. pract. Secl. I. p. 62.

contra putredinem praeservandi ^{a)}), consilium cepit febres intermitentes hoc modo curandi, ut aegri, nulla adhibita interna medicina, crura in decoctionem cum cortice Peruviano et aqua factam immitterent. Postquam aegrum repererat febre intermitente tertiana regulari laborantem, qui nulla hafleinus ad eam medicina fuerat usus, libram unam corticalis Peruvianæ cum magna aquae copia in magno vase per quatuor aut quinque horarum spatium coqui iussit. Tunc calore decoctionis ita temperato, ut 100 gradus thermometri Fahrenheitianæ non excederet, et decoctione in altum atque angustum vas infusa, crura aegri aspero laneo panno fricari et in hoc balneum immitti iussit. Ut et caveretur, ne vapores evolarent, et calor decoctionis conservaretur, vas cum curibus ei immisis panno tegi iussit. Balneo hoc modo mox post finitam febrilem exacerbationem per bihorium continuato, aegri e balneo egressus in lecto recubuit. Die a febre libera idem balneum per bihorium repetitum est, tribusque ante novam accessionem horis pedes iterum in idem balneum demissi sunt. Postquam aeger per integrum fere trihorium hoc balneo usus fuerat, febrilis quidem accessio, sed longe moderatior, insequuta est. Deinde, nulla amplius accessione insequente, per quatriodium integra valetudine usus est, eiusque cor-

pus

^{a)} Guili. Alexander med. Versuche u. Erfahrungen 1. Versuch p. 28.

pus et robore, et viribus tantum valuit, ut et operibus suis vacare posset. Quinto die, postquam madidum corpus a pluviarum vi redditum fuerat, febris insultus rediit. Sed postquam aegrotus eadem decoctione, quam in futuros usus adservari ALEXANDER iusserset, iterum calefacta eodem, quo antea, modo, fuerat usus, in eiusque usu per quatriuum bis per diem perrexerat, simulque vomitum concitante medicinam sumpserat, perfecte convaluit b).

Etsi quidem minus firma sententia ALEXANDRI est, febrem cortice Peruviano externe, balnei forma administrato, fuisse depulsam, cum eadem et sua sponte silere potuit, et emetica medicina administrata depelli, neque ex his, quae semel evenerunt, eadem semper eodem modo eventura esse existimandum est, tamen experimenta alia, cum Peruviano cortice instituta, docent, eum aliis etiam formis externe adhibitum resorberi et effectus salutares in corpore producere.

Quantum ad roboris restitutionem conducat his, quibus debilia et relaxata abdominis viscera sunt, abdomen cingulo munitum habere, quod corticibus adstringentibus et roborantibus siccis in pulverem redatis refertum sit, KAEMPFc), nobilissimi quandam

medi-

b) *Ueber den äußerlichen Gebrauch antiseptischer Mittel in den med. Versuchen und Erfahrungen p. 29 seqq.*

c) *Kaempf v. d. Krankheiten d. Unterleibs, 2te Aufl., c. 7. p. 364.*

D

medici, observationes docent. In iis etiam regionibus, quibus inquiline sunt intermitentes febres, cortex iis, qui eum sumere aut nolebant, aut non ferabant, in pulverem redactus impositusque, aut catalplasmatis forma adhibitus, ad febrem et arcendam, et profligandam profuit. Sic SAMVEL PYE^{d)} puerum, qui corticem sumere nolebat, sanavit, corpore nudo arctiore veste circumdato, ex tenuiore panno sancta, quam uncis quatuor corticis Peruviani refererat. Alium puerum sanavit duabus unciiis eodem modo adhibitis. Duodecim is auctor febrium intermittentium et remittentium historias enarrat, pulvere corticis sicco pectori abdominalique nudo applicato sanatarum.

Quae historiae, quarum numerum collegit illustr. quondam MVRAY^{e)}, probant, corticem Peruvianum et in clysmatum, et in balneorum, et in fice pulveris forma externe applicatum valere utique ad febres intermitentes profligandas, adeoque eandem curandi viam in usum vocandam in aegris cum successu spe esse, qui aut nolunt cortice uti, aut eum devoratum non ferunt. Cum vero corticem febres intermitentes profligare constat hac virtute, qua fibram stringit, roburque ei restituit, tentandum uti que

d) *Med. Bemerk. u. Untersuch. einer Gesellsch. v. Aerzten in London, B. II. p. 216.*

e) *Apparat. medicam. Vol. I. p. 576 seqq.*

que foret, quid alii adstringentes cortices, qui in Germania nascuntur, quibusque vile pretium est, quercus, pruni padi, hippocastani, salicis, ulni, pini piceae, nec non quid adstringentia atque roborantia alia amara, radix gentianae rubrae, tormentillae, bistortae, fructus aurantiorum immaturi, iuglandes immaturae, centaureum minus, trifolium fibrinum, chamomilla, chamaedrys, chamaepytys, aliaque eius generis medicamenta, quae omnia probatas ad febres virtutes habent, clysterum, balneorum, catalplasmatum, epithematum forma adhibita ad febres intermitentes valeant. Et cum tantum usum ad febres etiam putridissimas gravissimamque dysenteriam balnea antiputrida et adstringentia facilia comparatu praestitere^{f)}, utique liquet, a resorpta ea horum balneorum materia, qua febri adversa sunt, eadem, ad febres intermitentes adhibita, corpore praeparato, summe profutura. Ut itaque nihil obsit, quo minus hanc methodum febribus intermitentibus medendi medicis ad ulteriora experimenta enixe commendem.

Dubitarunt quidem medici, duce viro de universa medicina practica meritissimo, FRANCISCO TORTI^{g)}, de corticis Peruviani externe, forma clysterum aut epithematum applicati, efficacia, at argumentis ducti minus idoneis. Clysteres tot ab aegris

~~cum operari possent~~ D 2 ~~stultos~~ non

f) Bilquer von Faidiefern und Rihren p. 106.

g) Therap. special, L. V. cap. ult. p. 698.

non facile admitti dixerunt: sed facilius sane admittent aegri medicinam, quae palatum non offendit, dummodo per alvum iniecta utilitatem pollicetur. Dixerunt porro, si etiam febris sanata fuerit cortice per clysteres in corpus ingefto, incertum tamen esse, num sanatio naturae aut artis opera facta sit. At idem dubium contra omnes sanationes moveri recte potest. Porro regessere, cortice utplurimum interne simul, et per clysteres in corpus ingefto sanatam esse febrem, et sanationis partem maximam ab interno efficacissimae medicinae usu fuisse repetendam: sed adiuuisse ex cortice clysteres sanationem ipsi modo non negarunt. Tandem ipse **TORTI** his aegris corticem in clystere dari iubet, qui medicamenta devorare nequeunt, aut lethargo, aut delirio perpetuo, aut febre cardiaca intermittente maligna affectis^{b)}, coequo modo de hoc adhibendi corticis modo mentem sanam candide aperit. In periculosisimo sane morbi genere medicamenti formam non praecipisset, cui nullam, aut exiguum virtutem tribuisset.

Ad carpos etiam quartahariae mulieri corticem in pulvere, vini spiritu subactum, apponi iussit per dies octo, sed absque successu, quo etiam carere debuit medicina, tam angusto loco, ex quo parum medicatae virtutis in corpus deferri potuit, applicata. Sed convaluit a febre mulier, epicarpio ipso, quo usq; per octo dies fuerat, devoratoⁱ⁾.

§. XIII.

b) Torti l.c. p. 700.

i) Torti l.c. p. 701.

§. XIII.

FEBRES REMITTENTES.

Remittentes febres cum ex intermittente et continua continente aegros simul occupantibus componantur, sanenturque febre continua continente ad declinationem perducta, remissionibusque longioribus factis atque manifestioribus, adeoque morbi natura sic mutata, ut intermittens febris magis explicita appareat, continens vero minutior facta sit, hinc eodem plane modo, quo ipsae intermittentes, profigentur, corticis Peruviani et aliorum febrifugorum externum usum etiam in his, eodem modo, quo in intermittentibus, valere apparet. Febrem remittentem eodem, quo intermittentes successu curavit cortice Peruviano in pulverem redacto, universo pectori atque abdomini applicato, PYE^{k)}.

Verum ut febrem fugantia medicamenta non adhiberi debere constat, tam in intermittentibus, quam in remittentibus febribus, nisi corpore ita preparato, ut nihil mali a febre per adstringentia depulsa metuendum sit; ita etiam in externo febrifugorum in intermittentibus et remittentibus febribus usu tenendum est:

1) Ea non adhibenda esse in febribus intermittentibus et remittentibus vernis, quae ut plurimum

D 3 natura

k) Med. Observ. and Inquiries Vol. II. n. 18.

natura sua ad inflammationem pronae sunt, nisi inflammatoria dispositione per commodam dietam medicamentaque sublata. Diaeta antiphlogistica ea, quam HIPPOCRATES in libro de vietis ratione auctorum praecepit, vietus tenuis, farinaceus, vegetabilis, potus tenuis, leniter resolventes, saponaceam virtutem habentes, emollientes, omnis acrimoniae et omnis virtutis ad calefaciendum expertes, copiose ingesti, abstinentia a quocunque corporis motu valido, regimen tepidum ad inflammatoriam dispositionem minuendam in primis conferunt, in primis si et simul venaelectiones praecipiuntur, et interna antiphlogistica medicamenta, sales medii, nitrum, sal ammoniacus cum nitro remixtus, quae mixtura ad efficacissima antiphlogistica medicamenta pertinet, ac, si primae viae impuritatibus laborant, medicamenta, quae alvum laxant, simulque aestui et inflammationi obsunt: tremor tartari cum aqua solutus, alcali fixum vegetable cum acido citri saturatum, tamarindorum, cassiae pulpa, manna, rel. Regula directrix in curatione febrium intermittentium atque remittentium inflammatoriarum generalis esto: curationem harum febrium per febrem propulsantia cuiuscunq; generis medicamenta non tentandam esse prius, quam inflammatione resoluta, aut dispositio inflammatoria per commodam dietam medicinamque sublata sit¹⁾.

2) Non

1) Aureum est monitum, quod in curatione omnium febrium observari

2) Non adhibenda esse medicamenta febrem fugantia in intermittentibus et remittentibus febribus prius, quam alvus expurgata sit, et functiones viscerum infimi ventris non amplius quam per debilitatem et generalem languorem, qui cum febrium progressu semper incidit, laesae sint, constans fere omnium medicorum observatio docuit. Neque multi CLEGHORNIUM^{m)} imitati sunt, qui febrem fugantia medicamenta statim, absque ulla corporis præparatione, ad tertianam febrem adhibuit, in qua si malignitas est, quae mortis aut gravioris periculi metum incutit, febris quidem statim, data, quanta impendi ullo modo potest, opera, suffocata est, quoniam gravior metus a febre morteque ab ea instantे est, quam ab effectionibus febris suffocatae, qui semper coniecturales sunt, atque commoda medicina ut plurimum tolli possunt. Quod etiam preecepérunt, exemplis ducti numerosissimis successus felicissimi, viri ad practicam medicinam augendam nati, TORTIⁿ⁾, WERLHOFIVS^{o)}, MEDICVS P), ut his principibus auctoribus nominatis alios taceam. Veteres eti quo-

D 4

que

vari iussit Stollus, vir immortalis: Atque in omni phlogoseos concurso cum alijs vitiis quibuscumque prima ratio habenda est inflammacionis. vid. ei. aphor. de cognosc. et curand. febr. §. 848.

m) Ueber die epid. Krankh. auf der Insel Minorca c. 3. p. 198 seqq.

n) Torti ther. spec. L. II. c. 3. p. 318 seqq.

o) Werlhof observ. de febr. Sec. III. §. 4. p. 124.

p) Samml. v. Beobacht. aus d. Arzneyw. Th. II. B. II. p. 431 seqq.

que in febribus primas vias minus medicamentis, magis diaeta expurgabant, quod medicamentis, quae tuto vomitum citant, et alvum leniter et absque irritatione expurgant, carebant, regulam tamen in febrium per balnea curatione hanc posuerunt, ut nunquam adhibenda sint balnea in febrium acutarum curationibus, nisi primis viis a sordium colluvie expurgatis, atque ipsa febre concocta.

3) Praeterea cum intermittens et remittens febris et summa obstruktionum in visceribus infimi ventris factarum medicina sit, et non raro iisdem generandis occasionem det, generatasque augeat atque pertinaciores reddat, in primo casu tenendum est, febrem, a qua tantum boni expectandum est, tolli non debere, sed eam potius medicinae instar aestimandam esse, et talis quidem, quam natura ad se ipsam a graviori malo liberandam instruxerit. Hinc cum in hoc casu febrifuga medicamenta obfint omnia, obesse etiam eadem externe adhibita existimandum est. Si vero alter casus locum habet, curatio alia plane esse debet. Si enim febrem sopis, eo quod viscera interceperat, non sublato, metus est, ne aeger a febre libratus in graviorem morbum, ab obstruktione pertinaciore facta natum, incidat: si vero febrem perseverare sinis, periculum est ne aucta per ipsam febrem obstruktione, haec fata aegrotantis acceleret. Praestitit rerum statu tali existente et disposi-

Ipositione ad inflammationem absente plurimum haec antifebrilis methodus, qua febris medicina resolvente simulque roborante depellitur, qua scilicet mala ab obstruktione metuenda cauentur. Balnea, semi-cupia ex huius generis medicamentis, taraxaco, fumaria, centaureo minori, carduo benedicto, trifolio fibrino, chamaedryos, chamaepityos herbis, chamo-millae floribus cum aqua coctis, sapone addito, aut salis alcalini vegetabilis particula adiecta, his in primis convenient, ob maximam, quam tepida balnea possident, ad obstructions viscerum infimi ventris resolvendas vim, et ob non contemnandam horum balneorum ad ipsam febrem fugandam efficaciam. Viscerales quoque clysteres ex iisdem medicamentis parati, continuato, ut par est, eorum usu ad has febres obstructionesque per eas factas multum valebunt, non neglecta simul, quam exponere ab instituto meo alienum est, efficaci interna medicina.

§. XIV.

FEBRES CONTINVAE CONTINENTES. PVTRIDAE.

Cum non de universa febrium putridarum curatione agere institui, sed de ea tantum, quae per balnea peragi possit putredini adversa vimque vitaliem instaurantia, primum memorandum est, vim reforctionis in animali corpore tantam esse, ut per

D 5

eam

eam medicamenti antiputridi maiorem copiam in corpus ferri existimandum sit, quam per devorationem commode tutove fieri possit. Quod experimenta a GVLIELMO ALEXANDRO instituta optime probant. Is manum, quam antea panno aspero fricaverat, in aquae calidae libras quatuor immisit, in quibus nitri unciae quatuor solutae erant. Extracta e balneo post temporis intervallum manu, aquae ponderis unciam unam et dimidiam amiserant, evaporataque aqua nitrum, quod in crystallos coiverat, pondus unciarum duarum vix superavit. Dueae itaque nitri unciae ex parte cum aquae vaporibus evolaverant, ex parte vero in corpus ipsum receptae fuerant. Putatque Vir Celeb. fore, ut si corpus universum in talem aquae et nitri mixturam immittatur, aquarum unciae centum et viginti, et nitri 2700 grana ab universa superficie resorberentur; erravit vero, aequam in universo corpore resorptionem fore putans, tantamque, quanta in manu fuerat ^{9).}

Immisit deinde utrumque pedem aquae, in qua nitrum hac proportione solutum erat, ut singulæ aquæ librae nitri unciam tenerent. Mox conatus ad mingendum maiores sensit, urinasque crebrius emititi, quæ diligenter examinatae nitrum continebant, carnique adfusæ eam contra putredinem tuebantur. Lotium, quod alio experimento instituto emiserat,

post-

⁹⁾ Alexander med. Versuche und Erfahrungen p. 20.

postquam pedes in decoctionem corticis Peruviani immiserat, non solum putredinis expers manebat per quinque septimanas, sed etiam carnium putredinem potentissime arcebat. Haec experimenta probant 1) materias putredini adversas longe maiori copia in corpus ferri, superficie balneorum forma applicata, quam interne dari possent. Nitri ex universalis balneo aquarum calidarum, in quarum singulis libris uncia nitri soluta foret, tanta copia resorberetur, quanta dari aegrotanti absque summo vitae periculo nullo modo posset. 2) Ipsius corticem Peruvianum balneorum forma in decoctione applicatum et ingredi corpus, et humores eius excrementitious, qui natura sua ad putredinem proni sunt, adversus putredinem efficacissime tueri: eandem hinc vim idem medicamentum in sanguinem, humores reliquos, partesque etiam solidas corporis habituram.

§. XV.

BILGVERI, VIRI CELEB. EXPERIMENTA.

Hactenus enarratis experimentis ALEXANDRI ductus BILGVERVS, ex principibus chirurgis exercitus Regis Borussorum, vir gravissimus, quid valeant balnea antiseptica in febribus putridis castrensis bus et dysenteria milites in castris vexante instituit^{r).}

Cum.

^{r)} Bilguer, *Verfuche und Erfahrungen über die Faulfeiher und Rubren*, pag. 105, seqq, ubi haec experimenta, eorumque successus enarrantur.

Cum in ultimo bello, quod FRIDERICVS II. Borussorum Rex, cum Austriacis gerebat, regius exercitus castra in Bohemia fecisset, aliquotque millia militum partim febre putrida, partim dysenteria affecti graviter decumberent, ex tam insigni his morbis affectionum numero quadraginta et unum in militare nosocomium, omnibus rebus necessariis instructum, Celeb. BILGVERVS deferri iussit. Delectis aliquot chirurgis, ad aegrotantium curam, curavit, ut omnes in amplis atque spatiis conclavebus, quorum aer non interceptus esset, decumberent. In amplissimo conclave tredecim aegroti decubuerunt, e quorum numero unus grave in altero genu vulnus scelpto ipso inflatum habebat. In altero conclave duodecim, in tertio novem, in quarto septem aegrotantes decubuerunt. Alvo primum omnibus ducta medicamenta, quod ex ipecacuanhae et rhabarbari radicibus compositum erat, cum neque medicamenta neque cibos stomachus ferret, instituit secum tentare, quid harum febrium per balnea antiseptica curatione proficiat. Balneum hinc ex infusione florum chamomillae, corticum quernorum ab nondum adultis arboribus degluptorum libris quatuor et nitri libris duabus parari, aegrosque in id calefactum ad calorem graduum 96 thermometri Fahrenheitianii immitti per quartam horae partem, deinde in lectum iterum deferri iussit, sudoremque, qui balneum alias insequi solet, caveri. Id balneum singulis diebus se-

mel

mel, matutino tempore, repetitum est, ita ut aegri postea diutius, et ad horae spatium usque, in balneo manerent. Post bainea aegros semper alacrieres esse, meliores se habere et viribus magis constare, laetus animadvertis.

Singulis lectulis vas appositum erat, in quo mixtura ex cortice Peruviano, nitro et aceto contingebatur: aegri iubebantur vapores ex eo ore naribusque attrahere, qui iniectis in haec vascula lapidibus carentibus evanescerent. Hoc modo etiam aer in conclavibus emendatus est.

Vesperi corpora aegrotantium aceto tepido locuta sunt. Quibus alvus laxior erat, his clysteres ex Peruviano cortice cum vino cocti iniicebantur. Interna medicina omnibus parca fuit, aliis ex laudano, aliis ex cortice Peruviano infuso, quibusdam ex nitro cum aqua soluto. Potus ex aqua, cum acetato aut vino. Victus vegetabilis, pomaceus.

Successus curationis is fuit: Eorum qui in primo conclavi decumbebant, nullus fatum subiit, praeter eum, qui in genu vulnera habebat. Ex altero conclavi duo funera elata sunt, his vero pulmones suppurati erant. Ex tertio conclavi nullum funus elatum est, ex quarto vero unum, hominis, qui ex elu pomorum immaturorum nimio dysenteriam atrocissimam contraxerat. Ex numero itaque 41 aegrotantium diro morbi genere affectionum tres tan-

tum

tum periere. Convalescentibus diaeta instaurans, vinosa fuit.

Qui in castris iisdem morbis decumbabant, ob opportunitatis defectum in balnea quidem immittit non poterant: at quoniam corpora eorum quotidie aceto lavabantur, tamen ex maximo aegrotantium numero vix centum fatum subierunt. Vinum in primis convalescentibus auxilium summum tulit.

§. XVI.

THEDENII V. ILLVST. ALIORVMQUE

EXPERIMENTA.

HAHNII, clarissimi quandam medici, qui et utilem librum de aquae simplicis virtute medica congesit^{s)}, observations THEDENIVM, senem venerandum, docuerant, frigidissimam aquam externe adhibitam et in varioloso morbo, et in malignis febribus summe esse utilem. EX HAHNII consilio THEDENIVS frigidam aquam tumori inflammatorio cruris ingenti, qui gangraenae metum incutiebat, hoc effectu imposuit, ut aqua frigida per trihorium studiose imposita, tumor resloveretur. In malignis deinde febribus, in quibus pulsus languidus erat, mortisque metus praesentaneus, frigidissimam aquam abdomini, scrotoque imponi, eademque peclus, brachia,

^{s)} Unterricht von Kraft und Wirkung des frischen Wassers in die Leiber der Menschen, besonders der Kranken, Breslau 1749. 8.

chia, crura, os lavari iussit, detersisque partibus
aegrum stragulis tegi. Hanc medelam pulsus plenus,
fudor copiosus, salus aegrotantium excepero. Eo-
que modo multi e mortis periculo erexit sunt.

Aegrotantes quibus iam instabat mors, et qui
nullo medicamento moveri potuerant, inhorruere,
frigidissima aqua scroto atque abdomini applicata,
intremuere, vitaque per eius irritationem resuscita-
ta effecit, ut analeptica, volatiles sales, Peruvianus
cortex, radix serpentariae Virginianae, quae me-
dicamenta omnia antea incassum tentata fuerant,
nunc aegrotantium vitam salutemque restituerent. Id-
que in primis illa alteratione ac irritatione effectum
est, quam aqua frigida induxerat.

In putrida febre, in qua abdomen inflatum e-
rat, et symptomata pessima quaque urgebant, re-
bus aegri fere desperatis, abdomini per diem quin-
quies sexiesve linteal aqua frigidissima madida impo-
suit, clysteresque ex infuso florum chamomillae fri-
gidissimos in alvum ferri iussit, simulque omnia me-
dicamenta frigidissima dari Cl. LAMARQUE, hoc
successu, ut mox post contrariam hanc medendi me-
thodum tentatam symptomata pessima quaque, vi-
rium summa prostratio, syncope atrocissima minue-
rentur, ac venter deinde mollior et minus tumidus
fieret. In initio tanta sensus imbecillitas fuit, ut ae-
ger frigus non sentiret. Postea sensit frigidam ex-

terne

terne et interne adhibitat idque resuscitatam fuisse
vitalem vim, quae effoeta fuerat, docuit. Tandem
aeger, morbo diro penitus depulso, convaluit ^{t).}

Exempla ex auctoribus aliis permulta alia col-
ligere possem, quae vero quod eadem probant,
quae haec tenus adducta sunt, silentio, ne nimis mo-
les opusculi mei increbat, praeterero.

§. XVII.

AQVARVM FRIGIDARVM, ACETI, VINI, EXTERNVS AD PVTREDINEM VSUS.

Dirissimum symptoma febrium putridarum at-
que ex biliosis putridarum abdominis ab aerè ex-
plicito tumor est, meteorisimum vocant. Contra
hunc internis medicinis antisепticis nobilissimis, aci-
dis mineralibus, cortice Peruviano, radice arnicae,
serpentariae, nec non volatilibus, camphora, vola-
tilibus salibus pugnatum est, at exitio ut plurimum
opem superante. Hinc externas medicinas medici-
tentarunt, frigidissimam aquam abdomini impositam,
vinum frigidum, quod ob antiputridam, atque in-
staurantem vim potentius aqua est, acetum, et, quod
omnia curationis puncta absolvit, acetum, cum cam-
phora in eo soluta. Alii corticem Peruvianum

CUM

^{t)} vid. Cl. viri tractationem de usu aquae frigidissimae ad febrem
biliosem putridam, quae legitur in tom. LXVI. diarii medici Gal-
lici a Cl. Bachero editi, titulo: journal de medicine. p. 461.

cum vino coctum cataplasmatis frigidi forma adhibere: neque imbellis medicina foret ex tenellis quercuum corticibus et arnicae radicibus cum vino aut aceto coctis atque in pultem redactis, camphora addita. Camphora enim, HOFMANNO, Illustri archiatro Moguntino teste, ad putridissima morborum genera tantum valet externe adhibita, quantum vix ulla alia medicina valere potest. Ipse autem meteorismus cum triplex sit, et partim summam relaxationem atque solutionem per putredinem induat, quae efficit, ut solutus aer atque elasticitatem ventus abdominis cavum expandat, causam habeat, partim vero fortes in intestinali tubo collectas putridissimas, quae ob aquam putredinem aerem eruant intestinalem tubum dilatantem, partim vero inflammationem cum putredine coniunctam, stagnantibus in abdominis visceribus humoribus in putredinem versis acremque continuo eruantibus, medendi methodus meteorismo etiam ad has causas, quae illum produxere, dirigenda erit^{v)}). Per putredinem atque solutionem humorum natus, per medicamenta mox enarrata adstringentia atque instaurantia frigida optime sanabitur: ab aere exfordium putridarum

solvi resinae aqua et soli ciborum raro iup collue-

v) cf. Mich. Sarcone *Geschichte der Krankheiten, welche durch das ganze Jahr in Neapel sind beobachtet worden*, III. Th. p. 17 fqq. Eyerel comm. in Stoll, aph. I. IV. p. 177. qui utilissima de diro hoc febrium putridarum symptomate tradiderunt.

colluvie evoluto natus iterato data medicina laxante simulque antiputrida curabitur: natus per inflammationem, et si quidem ob malignam humorum indolem morbique vim maximam semper curatu difficultus est, depelletur tamen alvo a fordibus libera ta, datis discutientibus antisepticisque, Mindereri praesertim spiritu, externeque eadem medicina, cum camphora ac vino tepido impositis vv).

Caeterum ad alios etiam affectus, qui aut cum febre putrida esse solent, aut a putredine nascuntur, antisepticae medicinae atque instaurantes externe exhibitae summam utilitatem praefliterunt. Sym ptomatica febrium putridarum gangraena, aut, si incidit, critica curanda est, partibus affectis in lo cale continuumque antisepticum balneum immis s, simulque internis medicamentis contra putredinem efficacissimis praecepsit. Vniversa adeo gangraena curatio externa nulla alia maxima ex parte est, quam per localia balnea antiseptica. Senilis gangraena, si et progressus eius per medicamenta nobilissima in staurantia, opium, vinum, Peruvianum corticem, ra dicem serpentariae cum vino datam, cohiberi ne queunt, aegro tamen longe minus molesta fit, eisque, qui cum aegro sunt, longe minus, foctore emen-

vv) cf. Wienhold de viscerum inflammatione occulta, Gotting. 1772. 4.
Reyland diff. de inflamat. latentibus, Ingolstadt. 1789. 8. quae
auctior prodiit titulo: von verborgenen und langwierigen Ent zündungen, Wien 1790. 8.

emendato, molestiae creat, si gangraenosa pars in balneum antisепticum immittitur. Virum vidi octogenario longe maiorem, cuius alterum pedem gangraena senilis invaserat. Efficacissimi quidem medicinis datis ex mox enarratarum genere gangraena non repressa est, eius progressus tamen retardati. Maxime vero ad progressus morbi retardanos contulit id consilium, quo exefus usque ad tarsi ossa pes et foetidissimo tabo diffluens quotidie bis in decoctionem saturatissimam corticum querorum cum vino factam demittendus erat. Post singula balnea exulcerata pars pulvere ex corticibus querinis et camphora parato obducta, eoque modo effectum est, ut omni foetore depulso omnique suopressa putredine, vitam aegrotans tolerabiliorem ageret. Externa medicamenta constringentia antisepiticaque idem effecerunt in hoc sene, quod condensantes materiae efficiunt in coriis maceratis. Adstringere nempe partes relaxatissimas, putredinem efficacissime correxere: pedique hoc modo mutato eadem indoles erat, quae coriis, coriariorum opificio per adstringentia condensatis.

§. XVIII.

COROLLARIA.

Quae cum ita sunt, vix fore puto, qui quin praeclaras ad putridos morbos virtutes balnea pu-

tredini adversa habeant, dubitent. Exemplorum enim tanta vis est, tanta tamque pertinax fuit effe-
ctus boni constantia balneorum ad hos morbos ad-
hibitorum, ut sane ego dubitem, num efficacior
utiliorque ad putridos morbos medicina existat,
balneis putredini adversis atque ita administratis, ut
ei, quod in morbo laesum est, vere obsint. Non
omnis enim generis balnea putredini adversa in sin-
gulis morbis putridis convenire facile intelligitur.

Convenient autem balnea tepida, ad BILGVERI
V. Cl. mentem parata, quibus tamen ego tantum
caloris gradum non darem, quantum BILGVERVS
dedit, ad febres putridas eas, quae absque sordi-
bus primarum viarum sunt, in quibusque acutus ve-
hementior aegrum excruciat, solidarum partium
compage simul laxa, et viribus oppressis existen-
tibus.

Balnea ex aceto tepefacto, in quo camphorae
particula soluta sit, convenient, plethora, inflam-
matione, calore acri, urente, respiratione gravi,
meteorismo ex inflammatione, praefentibus. Locale
pectoris, gravi respiratione pressi, balneum ex aceto
cum camphora et sale ammoniaco, idemque abdo-
mini per inflammationem in tumorem elevato appli-
catum in primis conveniet.

Balnea vero adstringentia ex quercus, hippo-
castani, pruni padi, alni, pini piccae, salicum, aliis.
que

que adstrictione valentibus corticibus, in primis vero ex cortice Peruviano convenient in putridis longis foeminarum, virorum debilium, aestate humidiore simulque calidiore, in laxa solidorum compage, post evacuationes quascunque gastricas, sanguineas, cutaneas nimias, in virum defectu, crises tardante, pulsu molli, debili, calore non magno, synocho putri remittente, intermittente, constitutione intermittentium febrium conregnante, instante gangraena^{x).}

Balnea vero instaurantia atque cutim aliquo modo irritantia ex floribus arnicae cum vino infusis, et ex semine sinapi cum aqua, aut cum aceto et aqua infuso convenient in irritabilitatis defectu, sensuum externorum, internorum torpore, tarditate, anaesthesia, urinis, calore, pulsu, naturalibus.

Balnea vinosa, aromatica, ex floribus chamomillae, herbis maioranae, scordii, menthae piperitidis, serpilli, origani cum pauca aqua aut vino coctis, camphora in hac decoctione soluta, aut externe ad mentem Illustr. HOFMANNI adhibita convenient artibus frigidis, facie collapsa, pallida, pulsu tenui, molli, delirio taciturno praesentibus.

Balnea frigidissima, ex aceto praesertim vinove localia, v. g. epithemata huius generis abdomini imposta convenient in meteorismo a summa rela-

^{x)} vid. Stoll aph. de cognoscend. et curand. febribus §. 496.

xatione, iuncto cum irritabilitatis summo defectu; Convenient quoque, et si cautum usum in hoc casu requirunt, balnea frigidissima localia ex nive, glacie comminuta, si ob irritabilitatis defectum, summanque relaxationem humores in summam putredinem mox transituri in abdominalibus aut pectoris visceribus congeruntur. Convenient quoque sensu aegri per morbi vim ita minuto, ut potentissima cum excitante medicina opus sit.

Non vero id meum propositum est, ut balnea putredini adversa instar omnis medicinae in putridis febribus commendem. Utilia tantum erunt, diaeta tali existente, qualis esse debet, ut, quae putredini favere possent ullo modo in aere aegrum ambiente, victu, motu, excretione, retentione, rel. efficacissime caveantur, internisque simul medicamentis morbo contrariis, strenue adhibitis. Bene enim notandum est, in tanta corporis labe, quanta in putridis est, omnia tentanda esse atque simul in usum vocanda, quibus haec labes corrigi atque deleri possit.

Denique memorandum est, balnea haec tenus memorata tam universalia, quam localia tantum sere esse adhibita, ubi anceps morbus erat, vitaeque spes, ob morbi summam vim, exigua ^{y)}). Si vero spes medicos, ea in tam deplorato aegrotantium statu adhibentes

^{y)} vid. Cl. Lentin in memorabil. circa aerem, virtutem genus, sanitatem et morbos Clausthalensi. p. 24 seqq. Gilchrist in den Samml.

bentes, raro fecellit, rarissime sane eos fasset, eadem balnea tunc adhibentes, ubi spes depellendi morbi maior laetiorque existit.

§. XIX.

FEBRES EXANTHEMATICAE.

Ad milliarem febrem, in primis si eruptio efflorescentiarum retardatur ob cutis stricuram, balnea emollientia tam universalia, quam localia, efficacissima medici experti sunt. Eademque febris, si cum putredine iuncta est, balnea putredini adversa commode, eodem modo, quo putrida febris, feret.

In varioloso morbo balnea variae indolis et commendata sunt, et summam utilitatem attulere. Ad variolarum febrem eruptivam mitiorem reddendam et ad ipsam variolae efflorescentiae eruptionem accelerandam medici hos, quibus futuri aut instantis morbi variolosi metus est, in balneum tepidum crebro immitti iusserrunt, idque consilium variolosis profuisse exempla docuerunt. In variolis post infestationem veneni natis eas praesertim partes, in quibus copiosior proventus variolosi exanthematis optatur, frigida crebro lavari iusserrunt, ducibus

E 4

prae-

*auserlesner Abb. zum Gebrauch prakt. Aerzte, Th. V. pag. 182.
C. Vogel Handbuch der prakt. Arzneywissenschaft. 1. Th. Kap. 7.
pag. 423.*

praesertim ex antiquioribus DIMSDALE, ex recentioribus GATTI et WAGLERO. Accelerari quoque eruptionem variolarum, si febris difficultis est, et eruptio ob cutim adstrictam nimis densatamve retardatur, tepido atque emolliente balneo fotuve observatio docuit. Multum valere eadem balnea, eosdemque fotsus pedibus applicatos, si humores nimio impetu in hoc morbo ad caput ferruntur, exempla quoque docuere; docuere etiam in varioloso veneno a superficie ad internas partes regresso et symptomata gravissima, a decimo praesertim die, ad diem usque decimum quartum vel decimum sextum concitante, nullam medicinam esse efficaciem, balneis aut emollientibus, aut balneis cappalasmatibusve ex semine sinapi irritantibus manibus pedibusve applicatis, ad tumorem scilicet salutarem in his partibus concitandum, sine quo variolae, si copiosae sunt, vix unquam benignae esse solent.

Sed alia quoque medicamenta externa, ad balneorum genus referenda, adhibita a medicis sunt ad vim variolarum, quam ad destruendum corpus habent, maximam infringendam minuendamque. Camphorae in primis tribuit virtutem maximam ad hoc summe mortiferum variolarum genus, externe apposita, huius in corpus resorptione corrigi putredinem, emendari humores, vires refocillari, aegri statum

statum ex dubio in certiore reduci, docuit ad optimos de varioloso morbo, quotquot existunt, scriptores referendus, Moguntinus archiater HOFMANNVS, quo etiam in variolarum curatione felicior vix medicus fuit. Docuitque is vir per exempla, deploratum iam aegrotantium statum, camphora externe tanta copia adhibita, ut universum corpus ea quasi obducatur, in meliorem posse restitui ²⁾.

§. XX.

CONTINENTES INFLAMMATORIAE.

Ad inflammatorias febres curandas non convenire balnea, iam GALENI observatio fuit, supra Sectione I. allegata: convenire vero superato morbo, ad vires restituendas, idque quod resederat de morbi materia in corpore, eliminandum. Neque recentior aetas balnea universalia emollientia ad febres inflammatorias adhiberi suasit: sunt contra quae-dam inflammationum genera, erysipelatis exemplo, ad quae omnem humorum minus utilem esse existimatum est. Localia vero summe conferre ad inflammationem resolvendam omnes adferunt. Et quidem humores emollientes, cataplasmatis, epithematis, fatus forma omnibus locis inflammatione tam interna quam externa affectis commode imponuntur,

2) vid. nobilissimi huius medici *Geschichte der Freyfrau von Fischering*, Monast. 4.

tur, eximiumque usum praefstant. In interaneorum inflammatione etiam generalia balnea cum simplicis aquae calefactae, tum, quae longe praeftantior est, cum emollientibus rebus variis coctae, effectus summe utiles praefliterunt. Et quidem

A) In gastritide, in qua aegri medicamenta interna fere nulla ferre possunt, externis auxiliis, et potissimum balneis emollientibus, praeter venaelectionem et rigorosissimum regimen antiphlogisticum, potissimum pugnandum est.

B) In intestinorum inflammatione, in qua eadem fere, quae in ventriculi inflammatione, medicamentorum internorum difficultas locum habet, ac ad quam resolvendam semicupia emollientia tepida calidave sumnam vim habere medicorum probatissimorum observationes docent.

C) Herniae, quas, quod intercepta sunt in iis aut intestina, aut alia abdominis viscera, incarcernatas vocant, ad idem morbi genus pertinent. In his si inflammatio subest, quae a tam diro morbo raro abesse solet, aut partium stricture, emollientia semicupia auxilium maximum adferre, probatissimorum medicorum observatio docuit^{a)}. Sunt, qui et frigidissimam, imo glaciem nivemque herniose tumori apponi iubeant: at anceps haec medica na est, neque unquam, nisi in ancipti malo, ad quod

^{a)} vid. Cl. Richter von den Brüchen Cap. 17. pag. 198.

quod profligandum iam alia omnia tentata incassum
funt, adhibenda.

D) In renum acutis affectibus sanandis balneorum
virtutem tantam esse, ut nulla alias medicamenti vir-
tute supereret, tam antiqui, quam recentiores pro-
bavere. Summam in primis utilitatem balnea calida
afferre calculi doloribus excruciatibus, ac lenimen dolo-
rum prae sentaneum efficere, omnes docuere. Eadem
virtutem summam eiusdem generis balnea ad ves-
cae urinariae acutos affectus calculosque habent.

E) Ad uteri inflammationem iam antiquiores
medici adhibuere balnea emollientia. Neque recen-
tiores ea ad hanc affectionem adhiberi tuto et cum
auxiliis plurima spe negarunt.

In capitib affectibus ab inflammatione penden-
tibus morbi genus eminet, celeri, quam inferre fac-
pe solet, nece famosum, a solis iactu procedens,
infestationem vocant. Ad hanc **TISSOTVS**, qui
praeclare de ea scripsit, post venae sectionem et pe-
dum emollientia balnea, etiam semicupia commenda-
vit b).

Oculorum inflammatione affectis veteres balnea
dulcis aquae commendabant. Materiam, quae ad
oculos decubuerat, per corpus digestam in spiracu-
la ferri et per ea educi putabant c).

Ad

b) Avis au peuple Cap. 10. §. 160.

c) Hipp. aph. VI. 31. Actius terr. III. 5. 3. River. prax. med.
L. II. c. 8.

Ad pectoris morbos cum inflammatione iunctos curandos Hippocratei libri de internis affectionibus auctor^{d)} balnea emollientia quidem commendavit, at posteri, quod metuebant balneorum in cruditate, et priusquam coelio morbi absoluta esset, vim, ea non adhibuere. Et adhiberi etiam ideo nequeunt, quod, vel calida sint, vel frigida, humores ad partes in pectore conclusas pellunt, coque modo inflammationem augere possunt.

Si vero in ullo morbo, in febre continentis inflammatoria simplici, synochum imputrem GALENVS dixit, certe valebunt, balnea tepida emollientia, quae sanguinis aliorumque humorum spissitudinem diluunt, stricuram, motum minis vegetum in solidis partibus minuunt, coque modo omne curationis punctum absolvunt. Conducent etiam in omnibus inflammationibus, his exceptis, quae pectus caputque occupant.

d) Hipp., de intern. affect. Sect. V. pag. 533.

THE

THESES.

I.

Sordium primarum viarum signum certum non est
lingua flava.

II.

Acaros, quos Wichmannus, vir illustr. unicam
scabiei causam dixit, hanc esse nego.

III.

Virginitatis certae notae non dantur. Gravida-
tis tamen signa virginitatis signis certiora sunt.

IV.

Animi morbos dari nego.

V.

Fibras musculares in utero esse existimo.

VI.

In multis morbis, symptomate curato primum,
causam tollere convenit.

VII.

Emeticorum usum graviditas non contraindicat.

VIII.

Etsi artificiales variolas cum minore periculo
decurrere certum est, infisionem tamen variolarum
extra

extra epidimiae variolosae tempus tentandam non
esse puto.

. . . . T H E S T

IX.

Nausea et vomitus non semper indicant vo-
mitoria.

X.

In phthisi pulmonali vomitoria adhibenda sunt.

XI.

Vomitus non solus ac unicus emeticorum ef-
fectus est.

XII.

Aer purissimus et febre hætica, et putrida la-
borantibus noxius est.

VI.

~~Humorum~~ ~~humorales~~ ~~in~~ ~~multis~~ ~~et~~ ~~excellit~~

V.

~~Humor~~ ~~humorales~~ ~~in~~ ~~multis~~ ~~modis~~ ~~Humorales~~ ~~cuncte~~ ~~primariae~~

IV.

~~Humor~~ ~~humorales~~ ~~in~~ ~~multis~~ ~~modis~~ ~~Humorales~~ ~~cuncte~~ ~~primariae~~

III.

~~Humor~~ ~~humorales~~ ~~in~~ ~~multis~~ ~~modis~~ ~~Humorales~~ ~~cuncte~~ ~~primariae~~

01 A 6709



Rkt ✓



Farbkarte #13

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
EXHIBENS
**BALNEORVM VSVM AD
CVRANDAS FEBRES**

QVAM
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
IN STVDIORVM VNIVERSITATE
ALTORFINA
PRO CONSEQVENDA
DOCTORIS MEDICINAE DIGNITATE

PVBICE DEFENDET
AVCTOR
FRANCISCVS XAVERIVS EISELIN
ELVANGA - SVEVVS.

DIE XXVII IVNII MDCCCLXXXII.

ALTORFII

TYPIS IOANNIS PAVLLI MEYERI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.